DE SILENTIO SACRAE SCRIPTURAE, SIVE DE IIS, QUAE IN VERBO...

Christian Brünings

S. J. Card. Bellarminj

Author of the Heresy

36. C. [illegible] 10.

14 Aprilij 1755

DE

SILENTIO SACRÆ SCRIPTURÆ,

SIVE

De iis, quæ in verbo divino omissa aut præterita vel sunt, vel videntur,

LIBELLUS,

AUCTORE

CHRISTIANO BRÜNINGS,

Sacrarum Literarum in Ecclesia & Schola Heidelbergensi Doctore.

ADJECTÆ SUNT IN CALCE

DISSERTATIONES

ALIQUOT AFFINIS ARGUMENTI.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

FRANCOFURTI AD MOENUM,

APUD FRANCISCUM VARRENTRAPP.

M DCC L.

#10.

ILLUSTRI

AC

GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

ABRAHAMO

DE LÜLS,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS

ELECTORIS PALATINI

CONSILIARIO INTIMO,

ET

AMPLISSIMI SENATUS ECCLESIASTICI

DIRECTORI.

NEC NON

MECÆNATIBUS, PATRONIS, FAUTORIBUS,

ATQUE

AMICIS,

QUOSCUNQUE IN PALATINATU DIVINA MIHI CONCILIAVIT PROVIDENTIA,

PAGELLAS HASCE

UT TABULAS VOTIVAS ET GRATI ANIMI PERPETUUM MONUMENTUM SUSPENDO.

AUCTOR.

ILLUSTRIS
ET
GENEROSISSIME DOMINE!

Quod Illustre Nomen TUUM opusculo huic meo, cujus Argumentum versatur in Scripturæ divinæ Silentio expendendo, præfigere audeo, non eo id à me fieri animo crede, ut hoc veluti pretio TUUM redimam favorem, neque ut sub TUO Patrocinio tutus delitescat libellus, sed potius ut beneficiorum, quæ TUÆ, & cæterorum Mecænatum, Patronorum, Fautorum atque Amicorum Benevolentia post Deum in his oris accepta fero, perenne exstet documentum. De TUO enim in me affectu tot argumentis comprobato dubitare religioni duco. Defensores ut conquiram non patitur Argumenti ratio. Divina Oracula non tali auxilio non defensoribus humanis egent. Si quid in tractationis modo peccatum aut erratum fuit, non negabit veniam divina Clemen-

tia, non tam dona, quæ offero, quàm animum respiciens. Neque humanas respuo admonitiones & correctiones. Fraterna monita amo, insultus hostium immoto ferre animo paratus sum. Sola igitur restat gratæ mentis significatio. Ut libellus Antiquitates Græcas ad usum sacrum referens index est beneficiorum in patria quondam acceptorum, quorum grata nunquam intermoritura est memoria: ita præsens opusculum ad posteritatem transmittet grati pro benefactis, quibus per TE cœterosque Evergetas in Palatinatu Electorali divina me beavit gratia, animi indicium. Accipe igitur VIR Illustris, accipite Patroni & Amici serenâ fronte hoc qualecunque officii mei genus, & constanti favore & amore dignari pergite pro Vestra ac Familiarum Vestrarum salute ardentissima ad Deum T. O. M. vota fundentem

è Musæo Nonis Martiis,
Anni MDCCL.

CHRISTIANUM BRÜNINGS.

Σὺν Θεῷ.

Ad sinceros Sacrarum Literarum

AMATORES!

ARDUUM suscepi negotium, Benevole Lector! Sacræ Scripturæ perfectionem & sufficientiam non a priori, ex Auctoris Summi summâ Sapientiâ, Bonitate & Sufficientiâ, ex scopo Verbi Divini ut Testamenti Paterni, ut Ducis fidi ad salutem, ut tabularum fœderis & Conjugii cœlestis, sed à posteriori probaturus, & quidem non ex Argumento, quod tractatur in Scriptis Sacris, neque ex testimoniis Sacrorum testium fide dignorum, verùm ex ipso Silentio, id est, ex iis, quæ in Codice sacro omissa aut prætermissa videntur. Fateor, non esse posthabenda Argumenta reliqua. Validissima illa agnosco, & omni exceptione majora, quæ ex Dei Perfectione, ex scopo Scripturæ, ex

ejus partibus & effectu derivantur. An enim Deus Sapientissimus non potuit exhibere normam fidei & vitæ perfectam? Annon voluit Optimus? Annon potuit satisfacere scopo Revelationis Deus sufficientissimus, ut suæ, ita & creaturarum æternæ felicitati? An Testamentum Patris cœlestis, Tabulas fœderis gratiæ divino jussu scriptas imperfectionis accusabis? Annon perfectæ sunt partes doctrinæ Salutis, annon perfecta lex, quæ amorem Dei & proximi sincerum & constantem postulat, annon perfectum est Evangelium, quod credentibus vitam æternam promittit? Annon audiendi testes illi, qui, quod testantur, ipso facto, insitis testimonio criteriis veritatis, comprobant? Sed tamen aliam viam nunc ingrediendam duxi, & ipso defectu, quem falso crepant hostes verbi divini, divinitatem & perfectionem Scripturæ confirmandam suscepi. Quemadmodum in Templo mensurando non solum altare, sed etiam vacua utrimque spatia, non solùm domus, sed etiam vacuum utrimque atrium examinari debuit: ita quoque in Scripturâ Sacrâ, quæ est delineatio Templi spiritualis, Christi & Ecclesiæ, non solum metienda ea, quæ oculis & sensibus internis exhibentur præsentia, sed etiam ea, quæ non incurrunt in oculos legentium,

ubi quid deesse videtur. Difficile hoc esse fateor, & perfectè de perfectione Scripturæ, ex silentio ipso colligenda, dici aut scribi posse despero. Sed tamen & imperfecta non displicebunt, si ut rudimenta perfectioris operis considerentur. In Sacrificiis Eucharisticis & fermentum admisit Lex divina Levit. VII. 6. Humanis operibus, pietatis & gratitudinis nostræ in Deum testibus, semper aliquid adhæret imperfectionis, ut divina omnia perfecta, unde fermentum a Sacrificiis Hilasticis, typis perfectissimi Jesu exulabat. Imperfectionem supplebit Integritas scopi, quem paucis exponam. Annus agitur decimus sextus, ex quo Antiquitatum Græcarum Compendium edidi, tenue & exiguæ molis opusculum, sed tamen non improbatum ab omnibus. Scopus hujus libelli erat illustratio dictorum Scripturæ, quibus lucem aliquam aut græcorum, aut vicinarum gentium ritus antiqui, sive sacri, sive civiles, aut domestici, affundere posse videbantur. Quibus non placuerunt omnia (nec placere omnia poterant, quia quædam allegavi, non ut probarem, sed tantum, ne doctorum fastidire inventa viderer,) iis saltem placuit scopus, nempe promovenda sacrorum Oraculorum cognitio & interpretatio. Idem scopus est præsentis opusculi.

Sed alia via eſt, quæ ad hunc ſcopum ducit. Prior opera verſabatur in explicando ſermone divino, poſterior hæc verſabitur in defendendo ſilentio divino, prior Sapientiam divinam ex vocum emphaſi probare laboravit, poſterior eandem Sapientiam oſtendet in omiſſione non neceſſariorum, & cauſis omiſſionis graviſſimis. Uterque ergò labor tendit ad Scripturæ, ejusque Auctoris honorem, ac eorum, qui ſacrarum literarum amore ac ſtudio tenentur. Ut hic finis muneri ſcholaſtico, quod ante hos ſedecim Annos, cum Antiquitates Græcas publicarem, geſſi, optime convenit, ita nunc conſpirat cum duplici munere, Eccleſiaſtico & Academico, quod divina mihi credidit Providentia. Priſtinum illud munus Rectoris ſcholaſtici a me poſtulabat interpretationem Auctorum Græcorum, & inprimis Novi Teſtamenti Græci. Neque hoc, neque illi ſine cognitione Antiquitatum Græcarum intelligi poſſunt. Tradendæ ergo erant Antiquitates Græcæ & eum in finem tradendæ, inprimis, ut Codex Novi Teſtamenti rectius intelligatur. Huc ergo referenda duxi omnia, & græcorum Auctorum lectionem, ac explicationem, & Antiquitatum græcarum cognitionem ac tractationem. Vana ſunt, imò noxia, hæc &

ſimilia media, niſi ad ſcopum hunc unum, & ſolum, & ultimum referantur. Munera, quibus nunc fungor, jubent interpretari literas ſacras in ſuggeſtu & cathedrâ, publice & privatim. Inſpirandus ergo Auditoribus eſt Amor & Veneratio Verbi divini, excitandum deſiderium ejus cognoſcendi & intelligendi, pro viribus removenda impedimenta, ſuppeditanda adminicula rectæ cognitionis, & legitimæ interpretationis, illuſtranda obſcura, dubia judicanda & dirimenda. Hæc autem omnia præſens labor noſter quærit commoda. Inſtillatur animis amor & veneratio Scripturæ ſacræ, ſi monſtretur in ipſo ſilentio divina quadam, omnem humanam ſuperans, ſapientia. Removetur aliquod obſtaculum interpretationis, ſi oſtendatur, quod deeſt. Tollitur obſcuritas ex omiſſione oriunda, ſi addatur, quoties addi poteſt, omiſſum. Eximitur ſcrupulus ex eorum, quæ omiſſa ſunt, ignorantiâ natus, ſi ex collatione Scripturæ cum Scriptura diſpareat defectus. Fateor, meas eſſe delicias, mea gaudia ſacra Dei oracula. In illis verſari ſive meditandis, ſive illuſtrandis, ſive defendendis, ſummæ voluptati eſt. Mei partem officii puto, fontem meæ ſalutis, meæ lætitiæ, meæ felicitatis, aliis commendare. Grati eſſe animi

judico, cùm tanta in me bona contulerit ſummum Numen, per Scripta divina, aliquid quoque conferre ad illorum honorem omnibus manifeſtandum. Alii majora ad ornamentum Tabernaculi congerant dona, ego minora & minima contuliſſe gaudebo, ſi modò ad fundamentum, quod decet, & fas eſt, contulero. Si modo ad fundamentum Religionis Chriſtianæ (doctrinale puto) quod nullum aliud eſt, quam Sacra Scriptura, adjecero ſiclum dimidium, Exod. XXXVIII. 26. non invidebo opulentioribus facultatem munera longè ditiora comportandi. De fundamento ſollicitos eſſe decet Chriſtianos & Theologos, in ſeculo hoc monſtrorum omnium feraciſſimo, quibus oppugnandis & debellandis non clava Herculis ſufficit, ſed ſolum verbum Dei vivum & efficax, ſolus gladius Spiritus S. Non verbum ſolum, ſed Spiritûs S. robore & potentia armatum eſt vivum & efficax. Tùm demùm gladius eſt anceps, cùm gladius eſt Spiritus S. Hebr. IV. 12. Eph. VI. 17. Id probat experientia. Ea vivimus tempora, in quibus laudi ducitur, & generoſi pectoris indicium eſſe putatur, ſpretis ſacris tabulis, quæ unica fidei & morum, credendorum & agendorum norma eſſe debent, & per myſteriorum θεοπρεπείαν, &

præceptorum æquitatem, ac utilitatem esse merentur, sibi fingere religionem, carni gratam, cupiditatibus consonam, philautiæ blandientem, id est, nullam admittere Religionem, & contra, quicquid sacrum & sanctum esse debet, prorsus animo ejicere, & procul exterminare ex orbe Christiano. Non prosunt adversus hos regni satanici Promachos argumenta ex verbo divino petita, nec quicquam efficiunt arma, quæ ratio suppeditat, nisi utrisque robur addatur & efficacia per spiritum roboris. Frustrà eos argumentorum vi superare laborabis, qui sunt hostes Dei & rerum divinarum, qui præjudiciis obfirmati oculos claudunt ad lucem meridianam. Frustrà usum rationis ab iis sperabis, qui malunt omnem ejurare rationem, quam veritati victas præbere manus. Sunt autem homines per naturam veritatis hostes, inimici Dei, rerum divinarum osores. Regnat per naturam pessima Φιλαυτία. Per hanc malunt à jugo legum divinarum liberi, à metu summi judicis exemti vivere, quam pendere à nutu Supremi Domini & justissimi Legislatoris. Facilè veritati cedit, qui eam amat, qui sedulò quærit, qui inventâ gaudet. At nunquam sentiet veritatis robur, qui semper fugit, semper declinat tela veritatis.

Manet hoc Dei & veritatis odium, donec Spiritûs S. gratia animos mutet, reſtauret & ita regeneret, ut, extirpato penitus Dei & lucis odio, ſuccedat placidus veritatis amor. Ita demum ſine ullo præjudicio, ſine repugnantiâ examinantur & ponderantur argumenta, quæ ratio, quæ Verbum Dei, pro Dei exiſtentia, pro Virtutis decore, pro vitiorum horrore, pro revelationis reverentiâ, ſuppeditat. Ita pectora experiuntur gladium ſpiritus ſauciantem in pœnitentia, tutantem in fide, debellantem vitia, errores vincentem, & triumphantem. Non tantum mihi ſumo, ut ſperem, hac opellâ meâ, hoſtium Scripturæ corda emolliri & flecti in verbi divini amorem poſſe. Hoc gratiæ victricis opus eſt. Si modo adverſus hoſtium inſultus confirmentur bonorum animi, erit, de quo mihi gratuler. Hæc de *Scopo* Libelli. Addimus quædam de *Materia*. Acutiſſimus SPANHEMIUS Pater in Dubiis Evang. Part. I. pag. 549. ſcitè obſervat, quædam in Scriptura S. eſſe, & non dici, alia dici, & non eſſe, alia nec dici, nec eſſe, alia denique & dici & eſſe. Fatemur, non dari tertium, aut quid dici in Verbo divino, aut non dici. Meritò tamen Vir Prudentiſſimus diſtinguendum cenſuit inter ea, quæ ſunt & dicuntur, & ea, quæ ſunt,

& non dicuntur, ſic quoque inter ea, quæ non ſunt & non dicuntur, & ea, quæ dicuntur, ſed non ſunt. Quædam enim in ſacris oraculis ſunt, & clariſſimis verbis dicuntur, ut juſtificatio per fidem, alia ſunt quidem in verbo divino contenta, ſed non expreſſa totidem verbis, ut Pædobaptiſmus, per legitimam conſequentiam deducendus. Quædam in S. Scriptura neque ſunt, neque dicuntur, ut purgatorium, & invocatio Sanctorum, alia dicuntur, ſed non ſunt eo ſenſu, quo accipi a quibusdam ſolent, ut unctio extrema. Vidit igitur Spanhemius, Scripturam adverſus quatuor armorum & certaminum genera tuendam eſſe. Quidam eò progrediuntur audaciæ, ut ea negare non erubeſcant, quæ in Verbo divino ſunt, & aperte dicuntur, ut S. S. Trinitatem &c. Cum his ita confligtandum, ut verbis Scripturæ clariſſimis & indubiis firmiter inhæreatur. Alii autem poſtulant, dogmata omnia verbis expreſſiſſimis ex Scriptura S. probari, neque alio modo probata admittunt. His oſtendendum eſt, in mendacio non eſſe veritatem, nec in veritate mendacium, eaque, quæ per legitimam conſequentiam ex Scripturæ verbis eliciuntur, verè eſſe in Scriptura, quoniam, niſi fuiſſent, elici non potuiſſent. Recte argumen-

taris: Christus est factus pro nobis peccatum per imputationem, non per infusionem, ergò nos in Christo sumus justitia, non per infusionem, sed per imputationem, cum quâ deinde cohæret emendatio, renovatio & sanctificatio. 2. Cor. V. 21. Sunt porrò, qui dicta divina malè interpretantur, & sua dogmata esse in verbo divino putant, quia sonus verborum ea tueri prima fronte videtur, ut ἀποκατάςασιν ἁπάντων *restitutionem omnium ultimam* videtur promittere Petrus Actor. III. 21. Contra hos probandum est, non admittere scopum & nexum eos conceptus, quos verborum signis adhærere putant, nec aliorum restitutionem promitti, quàm eorum, quorum restaurationem Deus promisit per Prophetas, neque unquam hos restaurationem omnium hominum & spirituum malorum promisisse. Denique, si qui conentur dogmata profiteri, quæ nec in verbo divino sunt, nec dicuntur ullo modo, ut Sacrificium Missaticum, hi convincendi, nec dici illa, nec potuisse dici, quibus contraria omnia dicuntur Hebr. X. 14. &c. Ex his datâ operâ quædam persequitur hic libellus, alia attingit, alia denique præterit. Præterit ea, quæ in Verbo divino sunt & dicuntur, attingit leviter ea, quæ vel sunt, & videntur non dici, vel dici videntur,

& non

& non ſunt, perſequitur ea, quæ nec ſunt, neque dicuntur, & dici tamen potuiſſe videntur, ſiquidem veritati & divinis virtutibus non contraria. Hæc tamen non aliter tractavi, quam ſcopus poſtulat, qui non eſt, controverſias ſectari, ſed divini in Scripturâ ſilentii Decentiam ob omnium oculos ponere, & hoſtibus Scripturæ criminandi, & defectum accuſandi anſam præcidere. Quoties controverſiam aliquam tangere res ipſa juſſit, toties modeſtè & paucis egi, ut nemini litigandi, & pacem, cujus ſtudio nil mihi prius neque antiquius eſt, ſolvendi materia daretur. Si tamen quis libellum hunc, quem honori Scripturæ Sacræ, & τῶν Φιλαληθῶν dicavi a moribus, in materiam litium & diſcordiæ convertere amet, illi polliceor conſtantiſſimam patientiam, nunquam cum quoquam maledictis certaturam. Stabit contra inſultus omnes invicta veritas, hæc manebit æternum & triumphabit, verbi divini immotis nixa fundamentis. Stabit veritatis divinæ columinibus ſuffultum pectus. Et ſi fractus collabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Ultimo loco de *forma* hujus libelli & ordine pauca ſubjicio. Silentium S. Scripturæ ejusque cauſas & fines deſcripſi, regulas adjeci, exempla addidi. Si quis in regulis

illis figendis acumen Philosophicum, aut Methodum Mathematicam desideret, sciat, divinam Verbi cœlestis Sapientiam ad normam artis humanæ exigi non posse, non de corporum dimensionibus, sed rerum spiritualium examine, non de rebus per naturam notis, ex communi rationis principio solidè deducendis, sed de mysteriis fidei, rationis captum superantibus, agi. Quis quæso audebit causas finesque omnes divini silentii, Auctori soli notas, scientificâ demonstrare methodo? Si à posteriori pateat, hunc silentii finem, non alium, has, non alias, hujus silentii causas fuisse, hinc colligimus, quæ similis silentii causæ, qui fines agnosci possint & debeant. Usus & experientia pro normâ est ac regulâ. Quæstiones sunt, non juris, sed facti, in quibus frustrà desiderabis demonstrationem à priori, aut methodum demonstrativam. Id tamen, quantum licuit, omni studio egi, ut ex principiis generalibus & certis, in Verbo divino fundatis, speciales regulas deducerem, ex similibus similia colligerem, contrariis contraria opponerem, & naturali, quantum licet, & rationali ordine procederem. Denique exempla, quæ, ut dixi, pro regulis sunt, Typica sunt omnia. Cur Species Arboris vitæ non memoretur, cur

linguæ & corda animalium in Sacrificiis non præcipiantur expreſſâ lege offerenda, cur Sacrificii jugis per totam noctem ardentis non fiat mentio in Lege Moſis, inquirunt. Hæc iis præſertim diſplicebunt, qui ſtatuunt, ex relatione ad typum emphaſin vocum & phraſium Sacrarum oſtendere, eſſe perſpicua ex obſcuris illuſtrare. Ita judicarunt Eruditi Bibliothecæ Berolinenſis Auctores Vol. III. part. II. p. 272. Verum aliud eſt, vocem aut phraſin obſcuram illuſtrare, aliud locutionis perſpicuæ emphaſin, id eſt, vim plura ſimul objecta, conceptus prægnantiores animo offerendi oſtendere, ad pietatis incitamenta. Vanum eſt, ex obſcuris illuſtrare perſpicua. Sed ex umbroſis Veteris Teſtamenti Cærimoniis, ſatis clarè tamen traditis, voces phraſesque obſcuras explicari poſſe, quis negabit, poſt mille & plura Novi Teſtamenti loca ex ritibus Hebræorum antiquis illuſtrata? Multò minus negari poterit, multa N. T. dicta ad Cærimonias Judæorum reſpicere, & tum demum eorum emphaſin & vim recta intelligi, cùm relatè ad illas Cærimonias conſiderantur & explicantur. Hic ſcopus fuit Diſputationum Academicarum, in quibus quorundam dictorum N. T. relatio ad ritus Hebræorum, & ſenſus fœcundiſſimus, ex

hac relatione emergens exponitur. Et idem ſcopus eſt Exemplorum typicorum, Tractatui huic, de Silentio Scripturæ, adjectorum. Si tamen quis hoc Studiorum & Meditationum objectum planè faſtidiat, illum ad exempla, paſſim allegata, hiſtorica, dogmatica, moralia, inprimis ad Diſſertatiunculas, in calce adjectas, in quibus Silentium Scripturæ leviter attingitur, alia vero, ad ſcripturam illuſtrandam pertinentia, diligenter proferuntur, oculos, animumque ut convertat, rogo. Præſtat planè, negligi tertiam partem, quàm ex ejus tædio odium totius libelli enaſci, & ad alios propagari. Ne ſpero quidem, placere & probari mea omnibus omnia. Non omnia. Homo enim ſum, & nihil humani à me alienum puto. Non omnibus. Innumeras ob cauſas his poſſunt diſplicere, quæ placent aliis. Si modo quibusdam non inutilem in Silentio S. Scripturæ ad Auctoris Summi gloriam referendo, operam poſuiſſe videbor, ſatisfactum abundè eſſe ſcopo meo arbitrabor, & inſigniter lætabor. Faxit Deus T.O.M. cui omnem laborum meorum fructum unicè acceptum fero, ut Opuſculum hoc, aliquâ ſaltem ex parte divinæ Sapientiæ, Bonitatis & Veritatis in verbo ſalutis radiantem gloriam cum

quadam Ecclesiæ utilitate manifestet. Utinam Sapientissimum Scripturæ Sacræ Silentium multos excitet ad laudes Auctoris Summi summas æternum dicendas, & nunquam silendas! Qui aliis silentibus de Scripturæ Silentio dicere ausus sum, luculentissimè, loquentibus & scribentibus aliis, silebo, & Jesum Optimum pro nobis loquentem & silentem, cujus admiror & amo in membris imaginem, in silentio laudabo.

Scribebam Heidelbergæ,
Ipsis Idibus Februarii Anni
MDCCL.

ORDO
OPUSCULI.

Σὺν Θεῷ.

DE

SACRÆ SCRIPTURÆ SILENTIO *PRÆMONENDA.*

§. I.

VERBUM DEI utrisque Veteris & Novi Teſtamenti Tabulis conſignatum cibus eſt, pabulum, deliciæ, dapes piarum mentium Hebr. V. 14. Pſal. CXIX. 103. *Divitiæ* cœleſtes, auri argentique theſauris præferendæ Pſal. XIX. 11. *Aurifodina* nunquam ſine ſummo emolumento animarum immortalium perſcrutanda Joh. V. 39. *Armamentarium* ſpirituale, unde tam defendentia, quam SatanæRegnum offendentia & deſtruentia arma deprōmit Miles Chriſtianus hoſtium inſidiis ac minis obſeſſus. Eph. VI. 11. ſeqq. *Teſtamentum*, in quo hæres gratiæ ſummo cum gaudio miratur promiſſa bona cœleſtia ac æterna 2. Cor. III. 14. *Tabula fœderis* inter divinam Majeſtatem & peccatorem indigniſſimum Chriſti Sanguine fir-

mati, quod restauratæ cum Deo dulcissimæ & salutaris amicitiæ fundamentum agnoscit, quicunque sincera fide adstipulatur. Denique *Instrumentum contractus sponsalitii* inter Sponsum Dei Filium & Sponsam Ecclesiam intercedentis, quæ summa est homuncionum gloria. Hos. II. 19.

§. II.

Beati, qui his saturantur sine ullo tædio deliciis, qui his onusti sunt gazis, qui novos indies thesauros è latifundiis hisce effodiunt, qui nunquam deponunt arma hæc tutissima, qui in his testamenti, fœderis, sponsaliorum tabulis sua nomina scripta legunt. His pro fame est *satietas*, pro paupertate *opulentia*, pro timore *fiducia*, pro servitute *libertas*, pro miseria summa *felicitas* & beatitudo, pro ignominia *gloria* ineffabilis. *Perit* mundi voluptas, thesaurus, fortitudo, felicitas, gloria. *Manent* ex verbo divino petitæ dapes, thesauri, vires, honores, gaudia, quia ipsum *Verbum manet in æternum*. 1. Petr. I. 25.

§. III.

Præ reliquis felices prædicandi sunt, quibus divina voluntas credidit munus *Dispensatoris*, *Ducis*, *Præconis*, quibus officii suadet ratio jugiter inhærere Verbi divini meditationi, tractationi, prædicationi, ut aliis *cibum cælestem distribuant* cum prudentia 2. Tim. II. 15. ut aliis *thesauros sapientiæ cælestis recludant* 2. Cor. IV. 6. 7. ut aliis *arma spiritualia*, eorumque *usum commonstrent* Hebr. XIII., 17. ut aliis Dei

Teſtamentum, Fœdus, Chriſti cum Eccleſia Vinculum *manifeſtent* & *commendent*. 2. Cor. V. 20. Ut verbo divino utantur ad *docendam veritatem*, *refellendos errores*, *inſtillandam* animis *pietatem*, *corrigenda vitia*, quod *viro Dei*, id eſt, Doctori proprium eſſe monet Apoſtolus 2. Tim. III. 16. 17.

§. IV.

Diſpenſatores illi Myſteriorum divinorum id officii ſibi demandatum putant, ut partim Verbum Dei *explicent*, & ut viæ Duces in intima Sapientiæ divinæ penetralia ducant ignaros Act. VIII. 31. ſeqq. partim *applicent* ad *monendos* minùs ordinatos, *ſolandos* puſillanimes, *juvandos* debiles 1. Theſſ. V. 14. partim *defendant* adverſus iniquas detorſiones ac calumnias hoſtium veritatis & verbi, veritates, quales jam vidit Apoſtolorum ætas, στρεβλοῦντας τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν ἀπώλειαν, *detorquentes Scripturam ſacram ad propriam perniciem* ſui ipſorum 2. Petr. III. 16. ἀνθισάμενες τῇ ἀληθείᾳ *Veritati divinæ* per Evangelium revelatæ *hoſtili animo adverſantes* 2. Tim. III., 8.

§. V.

Dum Scripturam ſacram *explicant* οἱ ἑρμηνείαν ἔχοντες *donis interpretandi inſtructi*, & ad hoc officium in Eccleſia vocati 1. Cor. XIV. 26. non ſolùm *verba* rerum ſigna exponunt, obſcura illuſtrant, dubia determinant, emphatica oſtendunt, ſed etiam *rem* verborum ſignis notatam, nucleum verborum cortice involutum expla-

nant. Illa Explicatio *verbalis*, hæc *realis* dici ſolet. Utraque pari paſſu ambulat & nexu arctiſſimo cohæret. Ita præivit ipſe *Chriſtus* diſcipulis Emaunticis, in omnibus veteris Teſtamenti Scriptis, quæ de Ipſo prædicta fuerant, *exponens* Luc. XXIV. 27. Ita *Apoſtoli Petrus* Act. II. 25. III. 22. *Paulus* Act. XVII. 2. 3.

§. VI.

In *Verborum* Explicatione ita verſatur peritus & fidus Interpres, ut non ſolum ea, quæ *expreſſa* leguntur, elucidet, ſed & ea, quæ *omiſſa* ſunt, ſuppleat. Sæpè enim ex omiſſorum ſupplemento pendet integer Orationis ſenſus. Sedulò & accuratè *Ellipſes ſacras* monſtravit SALOMON GLASSIUS in Grammatica ſacra, & multis Scripturæ locis lucem intulit. *Ellipſes novi Teſtamenti* ex profeſſo ſupplevit LAMBERTUS BOS. *Ellipſes Particularum tàm Hebræarum, quàm Græcarum* diligentiſſimè oſtendit & ſupplevit CHRISTIANUS NOLDIUS in Concordantiis Particularum Hebræarum, quibus ubique annexuit Græcas.

§. VII.

Simili ferè modo in Explicatione *rerum* non ſolùm iis enodandis affixi ſunt Interpretes, quæ ſacri Scriptores aut *apertè*, aut *obſcurius docent* & tradunt, ſed ea quoque notant, quæ vel brevitatis gratiâ, vel aliam quandam ob cauſam *prætermiſſa* ſunt, & ſuppleri aliunde aut poſſunt, aut non poſſunt. Ita *Paulus* Apoſtolus 1. Cor. X. 8. numerat XXIII. millia ob impudicitiam

& idololatriam cæſorum, quamvis Num. XXV. 9. legantur trucidati XXIV. mille. *Supplet* igitur accuratus Interpres, quod in Paulo *deeſt*, ex Hiſtoria Moſaicâ. Addit etiam *rationem* ſilentio præteritorum mille Ducum, quos ſapientiſſimè omiſit Paulus, quamvis ſeductores fuerint, ne quis putet, ſe ſatis excuſatum, & culpa omni liberatum eſſe, ſi exemplum Ducum & Magnatum peſſimorum ſecutus fuerit.

§. VIII.

Oracula divina ita *explicantes*, eodem ſimul labore Detorſiones & Ψευδερμηνείας amovent, & non contemtu, ſed omni veneratione dignum eſſe Dei Verbum probant. Oſtendunt enim & *Sermonem* & *Silentium* Scripturæ non facere ad illum Scopum, quem fingunt veritatis hoſtes, nec *Ario* favere aut *Socino* titulum πρωτοτόκυ primogeniti, qui filio Dei datur Col. I. 1. neque *ſilentium* Moſis probare *Angelos ante mundum conditum creatos eſſe*. Evincunt potiùs relucentem in Scriptis divinis *Sapientiam*, æquè in *ſermone* ac *ſilentio* inveniendam, omni adverſariorum exceptione majorem eſſe *divinæ originis* teſtem.

§. IX.

Si tamen ex profeſſo & datâ operâ id agatur, ut Scriptura ſacra contra detorſiones & illuſiones hoſtium *vindicetur*, ſi non ſolùm eorum, quæ *dicta*, ſed eorum quoque, quæ *omiſſa* ſunt *verus ſcopus* indicetur, *falſus* rejiciatur, ſi in *dictis* nil *ſupervacaneum*, in *omiſſis* nil *mancum*

apparere demonſtretur, quis hunc laborem Theologo & Interprete ſacro indignum dicere audebit?

§. X.

Præſertim *poſterior* labor, qui verſatur in Scripturæ dictis & præteritis contra Illuſorum calumnias & convicia aſſerendis, noſtra ætate *utilis* & *neceſſarius* videtur, quæ, ut *Juliani Apoſtatæ* ætas, largam *Veritatis* & *Scripturæ hoſtium* produxit nuper, & indies majorem datura videtur ſegetem. Ut quondam *Superſtitio* dominabatur, ita nunc caput efferre videtur *Incredulitas*. Inſtant *noviſſima tempora* ſeculo Noachico ſimilia, quæ exſpectanda prædixit Chriſtus Math. XXIV. 37. 38.

§. XI.

Si corrigi & convinci Illuſores nequeant, ſaltem *muniendi* ſunt adverſus eorum inſultus, bonorum animi, & confirmandi in amore verbi divini. Monendi ſunt hi, *abſconditam* quidem eſſe hoſtibus illius ſapientiam, potentiam, dulcedinem, & præſtantiam, ſed tamen eam ipſam ob cauſam eſſe *Manna abſconditum*, habere vim nutriendi, refocillandi, conſervandi, augendi vitam ſpiritualem, quocunque modo præparatum, ſi modo in ſuccum & ſanguinem vertatur, ſufficere animæ hunc cibum ſpiritualem, nunquam deficere, nec redundare, nihil in oraculis Scripturæ aut mancum eſſe, aut ſuperfluum, ſicut id Manna colligentibus accidit, ut nec abundarent, multa, nec indigerent, pauca qui congeſſerant. Exod. XVI. 18. Apoc. II. 17.

§. XII.

Sanè qui Scripturæ objiciunt *Excessum*, non solùm Hyperbolas, sed & *ταυτολογίας*, superflua, otiosa, vana, illi audiri non debent, quia *hostes* sunt *Dei*, & divinorum omnium, *osores veritatis* & *pietatis*, quales per naturam sunt *Adamidæ* omnes Rom. VIII. 7. donec ad Christi imaginem efformet eos renovatrix gratia, & *amorem* inspiret *veritatis* divinæ Eph. IV. 24. Cohæret in mentibus per peccatum corruptis, cum odio Dei & Veritatis, turpissima *φιλαυτία*, & *sapientiæ propriæ superba opinio.* Accedit naturalis *caligo intellectûs*, ad *voluntatis* carnalis *repugnantiam.* Non attendunt injusti Scripturæ judices ad *Scopum* universorum & singulorum. Negligunt *nexum* partium. Exigunt Sapientiam divinam ad *regulam artis humanæ*, fucum amant, *simplicitatem* spernunt. *Iniquâ lance*, *iniquâ mensurâ* justè ponderari & mensurari cœlestis Sapientia nunquam poterit. Deut. XXV. 15.

§. XIII.

Qui ex parte alterâ Scripturam S. *Defectûs*, imperfectionis, insufficientiæ insimulant, & rerum utilissimarum imò necessariarum omissionem Scriptoribus sacris objiciunt, ut ob *easdem causas* fidem nullam merentur, ita aut *ignorantiam*, aut *ingratitudinem*, aut utramque simul, interdum quoque desiderium, vel in Scritura inveniendi *errorum* suorum *prætextum*, vel Scripturæ assuendi *doctrinas* & *præcepta hominum*, satis apertè produnt.

§. XIV.

Non mirum videri debet, si Christianæ Religionis *hostes* ita sentiant de revelatæ Religionis fontibus. At dignum admiratione est, quod illi ipsi, qui *Christianos* se appellant, qui se Testamenti hæredes, qui se fœderis divini participes, qui se Christo desponsatos, qui se verbo divino nutritos, armatos, ditatos esse dicunt, tabulas Testamenti, Fœderis, Matrimonii, *mancas*, penum spiritualem, armamentarium divinum, thesaurum cœlestem *parcum*, insufficientem, egenum judicent. Quid ergò? Annon *perfecta* est *lex divina*, Dux viæ ad salutem? Psal. XIX. 8. Annon *sacræ literæ perfectè consummare possunt* assiduè legentem & legitimè utentem? 2. Tim. III. 16. 17. Si desideras Patrum consensum. Audi ATHANASIUM affirmantem: Ἀρκεῖ πιστεῦσαι τοῖς γεγραμμένοις, *sufficit credere iis, quæ scripta sunt in verbo Dei.* Audi CHRYSOSTOMUM dicentem: ὐδὲν ἔλειπεν, ὐδὲ παρεσιώπησε τῶν συμφερόντων ἡ θεία γραφή. *Nihil omisit aut retinuit eorum, quæ ad salutem sunt utilia, divina Scriptura.* Optimè & emphaticè JOH. RAINOLDUS in Thesibus de Scriptura S. *Qui*, inquit, *id nescit*, scilicet perfectam esse Scripturam, *imperitus, qui non agnoscit, improbus, qui dissimulat, ingratus, qui negat, sacrilegus jure habendus est.*

§. XV.

Fatemur quædam *reticeri* in sacris literis, quæ utilia imò necessaria videri huic vel illi iniquo silentii divini Judici possunt, verùm

æquâ illuminatâ & sanctificatæ rationis lance si ponderentur singula, patebit *ipsum silentium* tantum abesse à *defectu* verbi divini, ut potius ejus *perfectionem* probet, & *dignitatem* evehat. Tantum igitur abest, *silentio* aliquo *suspectam* reddi *divinæ Scripturæ cœlestem originem*, ut potius eodem *divina origo & auctoritas confirmetur.*

§. XVI.

Duplicem illam Controversiam de Scripturæ vel *excessu*, vel *defectu* meam non facio. Hoc officium est *Commentatorum*, ita *explicare* Scripturam S. ut nihil in ea superfluum esse ostendant. *Vindicare* eandem & liberare à *defectus* calumnia, probare ejusdem *Sufficientiam* & Perfectionem, eorum est, qui *Systemata Theologica* sive *Dogmatica*, sive *Elenctica* tradunt. Hoc loco unica illa tractabitur *Quæstio: an ideò Scriptura S. Defectûs & Imperfectionis sit arguenda, quia passim quædam omittit & reticet, quæ ad utilitatem nostram pertinere videntur?* Hæc excutere accuratius, & ex omissis & silentio præteritis ipsam perfectionem & Divinitatem Scripturæ commonstrare, animus est.

§. XVII.

Scopus hujus Tractationis duplex præcipuè est, partim *Exegeticus*, partim *Elenchticus*. *Prior* ad verbi divini *Explicationem*, *posterior* ad *Defensionem* tendit. *Prior* attingetur, ubi *supplebuntur omissa*, *posterior*, ubi *causæ* omissionis sapientissimæ *allegabuntur*, & ex ipso silen-

tio divina Scripturæ ſapientia colligetur. *Hic* divinam auctoris *gloriam* aſſeret, *ille utilitatem* lectorum promovebit, quantum licet. *Uterque* ſcopus decet eos, qui ad *gloriam Creatoris* & *Redemtoris* formati & renovati ſunt. *Uterque* ſtudio & attentione hominis præcipuè *Chriſtiani* digniſſimus eſt.

§. XVIII.

Augebit attentionem Materiæ ſeu *Objecti præſtantia. Verbum Dei* eſt, celſiſſimæ Majeſtatis voluntas, *Teſtamentum Patris cœleſtis*, in quo contemplando & adorando verſabimur. Quid fideli *Subdito* ſanctius eſt *Decretis* optimi Domini? Quid *filio* & hæredi carius eſt Patris *Teſtamento*? quo non caduca & terrena, ſed cœleſtia & æterna immerenti & indigno legantur bona. Quis eſt, qui *cibum* & *potum* reſpuit, cùm ſit *fame* & *ſiti* languens? Quis *theſauros* oblatos ſpernit, cùm ſit non *pauperrimus* tantùm, ſed & *ære alieno* preſſus? Quid mirum non gaudio, ſed *tædio* eſſe Verbum divinum, & quicquid ad ejus uſum ducit iis, qui ſe *ſatiatos*, ac *divites* putant? *Famelicis* & *egenis* gratiſſimum ſemper erit Evangelium, & quicquid aliquem Scripturæ uſum commonſtrat. Ne *micas* quidem, aut *obolos* iſti contemnent.

§. XIX.

Alet attentionem perpetua *Materiæ Varietas*. Ut enim in Scriptis ſacris occurrunt dogmata, præcepta, vaticinia, typi, hiſtoriæ, ut in ſingulis iterum magna varietas apparet: ita quo-

que in *ſilentio* Scripturæ conſiderando *nova* ſemper animo offerentur *objecta*, quoniam per omne Scripturæ Argumentum pervadit & percurrit ſilentium. Deinde non ſolùm *varium* eſt ſilentii *objectum*, ſed & *variæ* ſunt *cauſæ*, *varii modi*, *varii fines*.

§. XX.

Hic autem Tractationis *Ordo* ſervabitur, ut *primò*, *quodnam*, & *quotuplex* ſit Silentium Scripturæ S. quæ *cauſæ*, qui *fines* oſtendatur. Deinde *Regulæ* Silentii examinandi & judicandi tradentur, denique his addentur *Exempla* quædam ſelectiora. Pars *prima* & *ſecunda* magis *Theoreticæ*, adſperſis tamen non raró etiam exemplis, ultima veró & *tertia* merè *Practica* erit.

§. XXI.

Fateor *difficilem* eſſe laborem, quem bono cum Deo aggredior. *Difficile* eſt invenire illud, quod ſiletur & omittitur, *difficilius* invenire cauſas ſilentii & omiſſionis, *difficillimum* inventionem omiſſorum, & cauſarum omiſſionis determinationem regulis circumſcribere. Neque præter *Deum*, cujus gratiam ſubmiſſis imploro precibus, ullum ſequi licet *Ducem*. Nullius ſequi licet veſtigia. Eò difficilior fuit viæ inventio.

§. XXII.

Nemo itaque ægrè feret, me prima tantum *Fundamenta* poſuiſſe operis maximi, vel ut verius dicam, me *delineaſſe* ſaltem opus multo tempore, multorum eruditione & ſtudio per-

ficiendum. *Inexhaustus* Sapientiæ thesaurus latet in *Scripturâ sacrâ*, non solùm in *sermone*, sed etiam in *silentio*. Licet & decet ἐρευνᾷν *scrutari* latebras, & thesauros effodere Joh. V. 39. sed non potest quisquam hominum sapientiam divinam ἐξερευνᾷν *finem attingere* scrutando Rom. XI. 33. eamque ob rem eò facilius æquum Lectorem imperfectioni præsentis laboris condonaturum confido.

PARTIS PRIMÆ

SILENTII SCRIPTURÆ

Naturam, Distinctionem, Causas & Fines exhibentis

CAPUT I.

DE SILENTIO IN GENERE.

§. 1.

Silentium Scripturæ S. ejusque indolem, discrimen, causas, finesque explicaturus *generalia* quædam de silentio præmittenda duxi, quæ in Scripturæ silentio rectius intelligendo, vel accuratius distinguendo usum habere poterunt.

§. 2.

Ut *loqui* dicuntur illi, qui animi sententiam externis verborum signis declarant, ita *silere* vel *tacere*, qui eandem tegunt, aut animi sensa cum aliis non communicant. Plerumque sine ullo discrimine adhibentur verba silere, & tacere. Interdum observatur *differentia*, ut *tacere* dicantur, qui planè non loquuntur, *silere* verò, qui loqui desinunt, & sermonem abrumpunt. Vid. AUSONIUS POEMA de Differentiis verborum in Voce Silere.

§. 3.

Non tamen illi soli silere perhibentur, qui *verbis* abstinent, rerum signis, sed etiam, qui *literis* non utuntur, verborum signis. Illi non loquuntur, hi non scribunt, quid velint. *Prius*

silentium *proprium est*, *posterius improprium* & metonymicum.

§. 4.

Quocunque autem modo intelligatur silentium sive propriè, sive impropriè, deest vel loquendi aut scribendi *voluntas*, vel *facultas*. Si desit *voluntas*, silentium erit *liberum*, si *facultas*, silentium erit *necessarium*. *Necessitas* omnis vel *physica* est, vel *moralis*. Prior necessitas oritur ex *causis physicis* sive internis, sive externis. Moralis ex *causis moralibus* quibuscunque. Quæ omnia in silentio distingui possunt & debent.

§. 5.

Necessitas silendi Physica debetur causis *internis* in *mutis*, qui omni loquendi facultate carent, & quodammodo in *mortuis*, quos Virgilius appellat umbras silentes Æn. lib. VI. ℣. 264. Ovidius memorat animas silentum Metam. Lib. V. ℣. 483. In sacris quoque Scriptis status mortuorum vocatur *Silentium* דומה Psal. CXV., 17. quia *in Sepulchro Deum ita non laudant*, ut hoc opere occupati fuerant in vita omni Psal. VI. 6.

§. 6.

Necessitas quoque Physica interdum pendet à causis *externis* physicis, si *vis* aliqua *externa* loquendi potestatem adimat. Ita martyrum ora capistrata legimus, ne ad supplicium educti cum turba circumfusa loquerentur, Veritatem Evangelii disseminaturi. Aliorum exsectæ fuerunt linguæ. Alii minis ac verberibus coacti silere, cùm de Christo dicere vellent.

§. 7.

Necessitas silendi moralis adest, cùm nos adigit amor *Veritatis*, *Honestatis* & *Pietatis* non dicere falsa, incerta, dubia, turpia, impia, blasphema. Moralis est hæc necessitas, quia, teste SENECA, *Vir bonus non potest non facere, quod facit, non enim erit bonus, nisi fecerit*, de Beneficiis lib. VI. cap. XX. *Quod turpe erit, non faciet, etiam si pecuniam affert, etiam si voluptatem, etiam si potentiam. Ab honesto nullâ re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur.* Idem Epist. LXXVI. Nec possunt dici ignota.

§. 8.

Frustrà itaque in Patrum Scriptis eorum errorum rejectionem aut refutationem quæres, qui diu post ipsorum mortem nati sunt in Ecclesia. Frustrà de hoc silentio querelas movebis. Non potuerunt enim loqui de erroribus nondùm natis. Laudandi potius sunt Patres primorum seculorum, quod hæreses non finxerunt, ut sequiori ævo factum ab *Epiphanio*, aliisque, passim ostenderunt Viri Antiquitatum Ecclesiasticarum periti.

§. 9.

Silentium *liberum* varium est, si subjectum, materiam, si formam, si qualitatem, si durationem, si scopum denique spectes, sive, quod idem est, si consideres, quis sileat, de qua re, an perfectum sit silentium, quale, utrum bonum, an malum, quàm diu servetur, denique quem ad finem tendat? Dari tantam silentii varietatem ipsa docet Experientia. Juvabit singulas silentii species lustrare & exemplis illustrare.

§. 10.

Si *Subjecti* habeatur ratio, Silentium est vel *divinum*, vel *angelicum*, vel *humanum*. *Deus* auctor est & dator sermonis. Qui sermonis usum Creaturis ratione instructis concessit, an dubitabis eum pro arbitrio voluntatem aut declarare, aut tegere posse? Ipsius beneficio *rationales* Creaturæ *sermonis* & *silentii* libertatem habent, quam rationis expertes & exanimatæ non habent. *Impropriè tamen his* quoque adscribitur, vel *sermo* vel *silentium*. Ita *cœli* dicuntur *narrare gloriam Dei* Psal. XIX. 1. & contra *Cœlum silere* dicitur apud PLINIUM lib. XVIII. Cap. XXVIII. cùm quiescunt venti. Ita *leges silere inter arma* affirmat CICERO pro Milone Cap. IV. cùm non permittitur legum executio. Ita *Musæ silere* dicuntur apud eundem Quæst. Acad. Lib. I. Cap. I. cùm studia negliguntur.

§. 11.

Deus loqui censetur, quoties *signo* aliquo *voluntatem* suam *manifestat*. Sic in veteri Testamento locutus est πολυμερῶς *variis vicibus*, & πολυτρόπως *vario modo*, nunc *tristi*, nunc *læto*, ut varii erant τρόποι canendi apud Græcos. Hebr. I., 1. Contra *Deum silere* affirmat Scriptura S. cùm *deest* alicujus rei divina *manifestatio*. Sic in veteri Testamento *silentio involuta* sunt σεσιγημένα *diu* & *per multa secula*, quæ per Apostolos nunciata fuerunt in novo Testamento Rom. XV. 25.

§. 12.

Angelis ut *linguam* & *sermonem* sacra Scriptura dare non dubitat, ita quoque iisdem competit *Silentium*. Datur Angelis non solùm *lingua* & *Sermo* 1. Cor. XIII. 1. sed & *clamor* Jes. VI. 3. Neque dubitamus, Angelos voce articulatâ, per motum aëris, hominum aures pulsasse, etiam si lateat *modus*, ut determinare nequeamus, utrum sola voluntate, ita jubente Deo, aërem commoverint, an verò assumtis eum in finem corporibus usi fuerint? Sanè *locuti* sunt Angeli, quoties *sonos distinctos* ediderunt, eorumque ope *varios* in hominum animis *conceptus*, varias ideas, & idearum diversos nexus excitarunt, ut Gen. III. XVIII. XIX. XXI. XXII. Jud. VI. XIII. Luc. II. XXIV. Act. I. XII. & alibi. *Silere* itaque creduntur Angeli, cùm *cessant* aures animosque nostros afficere: ut *silentium* illud, quod memoratur Apoc. VIII. 1. 13. ad *Angelos referri potest.*

§. 13.

Præterimus Silentium *humanum* nemini ignotum, & ad *Materiæ* seu *Objecti* Varietatem progredimur. Aut enim ea quæ silentur ad *Religionem* spectant, aut ad *utilitatem publicam*, aut ad *privatum commodum*. *Illud* Silentium *religiosum* vel sacrum dici potest, *istud Politicum*, hoc verò domesticum.

§. 14.

Silentii *religiosi* exemplum habes in *Mysteriis Cereris*, quæ evulgare Capitale fuit Alcibiadi teste CORNELIO NEPOTE C. III. & IV. Silentium *Politicum* observabis in *Leæna meretrice*,

quæ nullis tormentis adduci potuit, ut tyrannicidarum consilia proderet, & taciturnitatis meruit præmia publica, statuam nempe æneam, & quidem elinguem, silentii monumentum, teste Plinio Hist. Nat. Lib. XXXIV. Cap. VIII. Simile silentium fuit *Areopagiticum*, quo tegebantur Areopagi, Tribunalis Attici severissimi, acta, unde natum est proverbium: Αρειοπαγίτȣ σιωπηλότερος, *Taciturnior Areopagita.* Denique Silentium *domesticum* mirare in *Servis* Romanis, qui *in conviviis loquebantur*, *in tormentis verò tacebant*, si quis Heri arcana extorquere voluit, teste Seneca Epistolâ XLVII. Idem obtinet inter *amicos*, quorum non evulganda sunt dicta aut facta. Nôsti proverbium: *μισῶ μνήμονα συμπόταν*, *odi memorem compotatorem.* Et Plutarchus refert in Spartanorum *συσσιτίοις* eum, qui natu erat maximus, monstratis foribus, monuisse convivas, *ταύτῃ ȣ̓κ ἐξέρχεται λόγος*, *non egrediantur hâc in convivio dicta.*

§. 15.

Forma Silentii vel *perfecta* est vel *imperfecta*. *Perfecta* est, si ita sileas, ut neque ex ipso silentio, neque ex alio quocunque indicio, animi sententia colligi possit. *Imperfecta* est, si ipsum silentium ejusque circumstantiæ animum prodant, ut silentium sit loco sermonis. Sæpè *qui tacet*, *consentire videtur*. Apud Ciceronem in Catil. Orat. I. Senatores Romani, *dum tacent*, *clamant*. Sæpè, *qui tacet*, *dissensum prodit*, ut Christus, qui silentio usus est, ut signo detestationis. Matth. XXVI. 63.

§. 16.

Qualitas Silentii moralis si examinetur, silentium vel *bonum* est vel *malum*. Neque tertium datur, quod nec bonum, neque malum sit, si non abstractè, sed concretè, unà cum circumstantiis ponderetur. Silentium *bonum* est, cùm *subjecti*, *objecti* & *scopi* ratio non *flagitat* sermonem, sed *silentium*. Contrà *malum* est, cùm ob easdem causas non *poscitur* silentium, sed *sermo*. Silentium bonum *virtutem* appellat Ovidius, quamvis *exiguam*, id est, facilem exercitio Amorum, Lib. II. ℣. 603.

Exigua est virtus, præstare silentia dictis,
At contrà gravis est culpa, tacenda loqui.

Malum est silentium *Præconum*, qui, cùm subjecti, id est, officii ratio, objecti nempe æternæ salutis dignitas & scopus, si divina gloria loqui jubeat, *canum* instar *mutorum* silent. Jes. LVI. 10.

§. 17.

Silentium bonum vocari quoque licet *Tempestivum*, quando silemus, quoties tempus & occasio jubet. Eccles. III. 7. Rectè *Solon* apud Laertium tradit: *τὸν μὲν λόγον σιγῇ, τὴν δὲ σιγὴν καιρῷ σφραγίζεσθαι*, *sermonem quidem obsignari silentio, silentium verò occasione*. Opportunum tempus loquendi definit *Isocrates*: *δύο ποίει καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν*, *duo esse tempora loquendi opportuna existima, aut cùm optimè nôsti, aliis incognita, aut cùm necessitas urget.* Si nactus loquendi opportunitatem sileas, *intempestivum* & *malum* erit silentium.

§. 18.

Silentium *bonum* ſeu tempeſtivum pro *objecti* aut *ſcopi* varietate dici meretur vel *pium*, quod Dei exigit gloria, vel *juſtum*, quod aliorum poſcit utilitas, vel denique *prudens*, quod propria ſuadet ſalus. Ita *pium* erat ſilentium *Aaronis*, gloriam ſanctitatis divinæ in pœna filiorum Nadab & Abihu igne cœleſti conſumtorum, ob ignem peregrinum & non cœleſtem altari illatum, ſubmiſsè & cum obſequio venerantis. Levit. X. 3. *Pium* quoque fuit ſilentium *Magorum*, divino mandato parentium, & Meſſiam recens natum Herodi non prodentium. Matth. II. 8. 12. *Juſtum* fuit ſilentium *Eccleſiæ* ob communem ſalutem conſilium Apoſtolicum placido & obſequioſo ſilentio probantium. Act. XV. 12. *Prudens* fuit ſilentium *Jacobi*, ſocero iniquo & fraudulento propoſitum abeundi non aperientis. Geneſis XXXI. 20. 27. *Prudens* quoque ſilentium *Abigaëlis*, marito ebrio & furioſo ſtultitiam non objicientis. 1. Sam. XXV. 36.

§. 19.

Contrà Silentium *malum* ſeu intempeſtivum pro *ſcopi* & *objecti* diverſitate vel *impium* vocari poteſt, vel *iniquum*, vel denique *ſtultum*. *Impium* eſt, quod Dei cauſam hoſtibus prodit, quod non amolitur pro viribus ignominiam omnem divino nomini impactam. Levit. V. 1. *Injuſtum* eſt, cùm aliorum utilitas negligitur, quæ promoveri ſermone & verbis potuiſſet & debuiſſet, ut olim tacuit *Pincerna* Regis Pharaonis, cùm pro Joſepho loqui promiſiſ-

ſet. Gen. XL. 23. *Stultum* eſt, quod propria emolumenta parvi facit, quale fuit *Amyclæorum*, quos ſilentium perdidit. Vid. Adag. Eraſmi Chil. I. Cent. IX. Ad. I.

§. 20.

Si ratio habeatur *Durationis*, ſilentium aut *temporarium*, aut *perpetuum* eſt. *Temporarium* fuit ſilentium *Pythagoræorum quinquennale*, quorum ſcholam OVIDIUS vocat *Cætum ſilentum.* Metam. Lib. XV. ℣. 66. *Perpetuum* fuit, quod ex voto ſuſcepit *Theonas Monachus* apud SOZOMENUM Hiſtor. Eccleſ. Lib. VI. Cap. XXVIII. Vid. *Hieronymus Wellerus* de Voto ſilentii perpetui.

§. 21.

Denique Silentium pro *ſcopi* diverſitate aut *ſuperſtitioſum* eſt, aut *Chriſtianum*. *Superſtitioſum* eſt, quod ex ſilentio *meritum* quærit, aut gloriam ſingularis ſanctitatis, ut olim *Paſſalorynchitæ* naribus & labiis ſuis digitum opponebant, ne vel ipſam taciturnitatem voce præciperent, quos hæreticis annumerat AUGUSTINUS de Hæreſibus Tom. VIII. opp. pag. 16. *Chriſtianum* eſt, quod ad *calumnias hoſtium* tacet, ad exprimendam imaginem Chriſti. 1. Petr. II. 21. 22.

CAPUT II.

DE SILENTIO SCRIPTURÆ SACRÆ IN SPECIE.

§. 1.

POſtquam *in genere* Silentii varia genera excuſſimus, nunc *in ſpecie* de *Scripturæ S. Silentio* dicendum erit, in quo prudenter diſtinguenda ea, quæ de vario ſilentii diſcrimine diximus, non exiguam præſtabunt utilitatem. Nam & divinum Scripturæ ſilentium vario modo diſtingui poteſt, ſi ſubjectum, objectum, formam, qualitatem, durationem ac finem ſpectes.

§. 2.

Subjectum ſilentii, quoties ſilet Scriptura, & non revelat, quæ revelari potuiſſe videntur, diverſo reſpectu vel *Deus ipſe* eſt, vel *Scriptor ſacer*, cujus miniſterio Deus uſus fuit. Sicut enim Deus vel *immediatè* locutus eſt ad Prophetas, vel *mediatè* ad populum ſuum per Prophetas, ut diverſo reſpectu idem verbum vel *Deo* vel *Prophetis* tribui poſſit: ita quoque ſilentium adſcribi poteſt vel *Deo* ſervorum ore loquenti, vel *ſervis* in Dei nomine loquentibus. Præit Scriptura ſacra, nunc *Deum* per Prophetas locutum Hebr. I. 1. nunc *Viros Dei*, id eſt, Prophetas à Spiritu Dei commotos verba Dei locutos fuiſſe dicens 2.Petr.I. 21.

§. 3.

Huc referri quoque poteſt *Silentium Præconum*, quoties tempore perſecutionis aut ſecuritatis in ſtatu Eccleſiæ afflicto aut depravato

non auditur vox Dei ad homines loquentis, *non prædicatur verbum* pœnitentiæ & fidei, verbum veritatis & vitæ. Ejuſmodi Silentium deplorant verba Pſalmi LXXIV. 9. *Signa noſtra non videmus, non eſt ampliùs Propheta, qui doceat.* Ita *duo teſtes* Veteris & Novi Teſtamenti, iidem cum *duobus ſeraphis* & *duabus oleis*, Jeſ. VI. Zach. IV. ob *Silentium mortui* dicuntur per aliquod tempus, donec reſuſcitati denuò Præconum officio publico functi fuerunt. Apoc. XI. 7.

§. 4.

Objectum ſeu *Materia* Silentii ſcripturarii vel *Dogmatica* eſt, vel *Hiſtorica*, vel *Typica*, vel *Prophetica*. Continentur enim ſacris paginis hæc omnia, dogmata, præcepta, hiſtoriæ, typi ac vaticinia. Ad hiſtorias referri poſſunt *Parabolæ*, hiſtoriæ non quidem veræ, ſed fictæ, quæ tamen fieri potuiſſent. Hinc igitur Silentium ratione *materiæ* dividi poteſt in *Dogmaticum*, *Morale*, *Hiſtoricum*, *Typicum* & *Propheticum*, ſi *ſimplex* ſit, ſi ad unum tantùm genus pertineat Silentium; ſi verò ad *duo* vel plura ſimul referri genera poſſit, Silentium erit *Dogmatico-Morale*, *Hiſtorico-Typicum*. K. τ. λ.

§. 5.

Silentium *Dogmaticum* appellamus, quoties quid ſiletur, quod ad *fidem* ſpectat, ut quando *ſingularia vitæ beatæ in cœlis* exſpectanda non revelantur in verbo divino, quia, teſte *Joanne* Apoſtolo, *nondum manifeſtatum eſt, quid futuri ſimus*, 1. Joh. III. 2. Interdum ex *Silentio* Scripturæ *dogma* elicitur vel probatur,

ut *eminentia Filii Dei præ Angelis* inde colligitur, quia Scriptores ſacri ea non affirmant de *Angelis*, quæ *Filio Dei* Jeſu Chriſto competere aſſerunt. Hebr. I. 5. Verum hoc Silentium quoad *uſum* dici poteſt dogmaticum, non quoad objectum ſeu materiam.

§. 6.

Silentium *Morale* vocamus, cùm in ſacris literis ea non traduntur & commendantur, quæ *ad mores* rectè formandos faciunt, quæ tamen tradi potuiſſe credimus. Exemplo ſit *Præceptum* Decalogi *quintum*, quo *officia liberorum* in parentes expreſſis verbis memorantur; reticentur verò *officia parentum* in liberos, quamvis quoad rem utrumque relatorum intelligi, & in officiis liberorum erga parentes tacitè quoque contineri officia parentum liberis debita conſtet. Ex *Silentio* quoque *officium morale* deduci poteſt, ut Jeſ. XLV. 19. *Non dixi ad ſemen Jacobi, fruſtrà quærite me.* Quod Silentium utilitatem habet *moralem* ab ipſo Deo commonſtratam in precum fiducia.

§. 7.

Silentium *Hiſtoricum* eſt, quoties *facta* non commemorantur, ſive *caſus* ſingulorum hominum, ſive *fata* Eccleſiæ & orbis, quorum tamen notitia ad utilitatem noſtram pertinere videtur. Ita ſiletur *exitus reſuſcitatorum* tam in Veteri, quàm Novo Teſtamento, unde non conſtat, utrùm alterâ vice mortem obierint, an verò vivi in cœlum ad vitæ beatæ conſummationem tranſlati fuerint?

§. 8.

Silentium *Typicum* occurrit, quoties in *Typi* deſcriptione aliquid *omittitur*, ut vel *Antitypi* eò major cum Typo *convenientia*, vel *Antitypi* præ Typo *dignitas* & præſtantia ipſo Silentio demonſtretur. Præit ipſa *Scriptura* in *Silentio Typico* ejusque *ſcopo* explicando. Eam ob cauſam *Melchiſedeci*, qui Typus Jeſu Chriſti fuit, reticentur *Parentes*, Gen. XIV. nec memorantur *Succeſſores*, neque *mors* narratur, quia in *Antitypo* hæc omnia verè *abſunt*. *Chriſtus* ratione *humanitatis patre* caret, ut *matre* ratione *divinæ naturæ*, caret *morte* poſt reſurrectionem, neque admittit *ſucceſſores* ob vim vitæ haud diſſolvendæ. Hebr. VII. 3. ſeqq.

§. 9.

Denique Silentium *Propheticum* eſt, cùm ſilentur ventura *orbis* & *Eccleſiæ fata*, quæ ſcire naturali quodam inſtinctu ardent mortales, imprimis quoties exſpectandam ſciunt felicitatem aliquam, cujus modum neſciunt. Ita ſacra oracula inſigniter extollunt *ultimam Eccleſiæ* in fine dierum ſperandam *gloriam*. Jeſ. LX. LXV. LXVI. Apoc. XXI. XXII. Verùm *ſingularia* non tradunt, neque *tempus*, neque *locum*, neque *modum* & reliqua: ut vel conjecturis indulgendum, vel, quod tutius eſt, ipſe eventus & vaticiniorum implementum exſpectari debeat.

§. 10.

Forma Silentii Divini jubet diſtingui inter *perfectum* & *imperfectum*. *Perfectum* Silentium eſt, cùm *verè* ſilet Scriptura, ut neque Κατὰ

τὸ ῥητὸν quoad *verba*, neque *κατὰ δύναμιν* quoad *rem ipſam* inveniatur in ſcriptis ſacris, quod taceri credimus. *Imperfectum* dicimus, cùm ſacri Scriptores, quæ *totidem verbis* non declarant, docent tamen quoad *rem*, per legitimam conſequentiam ex dictis deducendam. Rectè Spanhemius Pater in Dubiis Evangelicis Parte I. pag. 549. *Quædam*, inquit, *ſunt in ſacra Scriptura, & non dicuntur; quædam dicuntur, & non ſunt; quædam ſunt, & dicuntur; quædam nec ſunt, nec dicuntur.* Liceat ergo in iis, quæ nec ſunt, nec dicuntur, *perfectum*; in iis autem, quæ ſunt, & non dicuntur, *imperfectum* Silentium ſtatuere.

§. 11.

Imperfecti quoque Silentii ſpecies eſt, cùm Scriptores ſacri *allegant* Verbum Dei diu *ante dictum*, quod tamen eo tempore, quo dictum fuerat, *non memoratur* à Scriptore coævo, vel illius temporis ſaltem hiſtoriam tradente. Exemplo eſſe poteſt promiſſio divina, quæ *Eli* ex *Ithamaris* familia oriundo, ejusque poſteris addixit *Sacerdotium*, rejectâ familiâ *Eleaſaris*, quæ ante Eli per ſeptem generationes, nempe Eleaſarem, Phineam, Abiſuam, Bukkin, Uzzin, Zerahiam & Merajothum ſacerdotio functa fuerat. *Memoratur* hæc promiſſio ut ante facta, 1. Sam. II. 30. ſed eo ipſo tempore, quo facta fuit, *ſiletur.* Nec memoratur *cauſa* rejectæ familiæ Eleaſaris, quæ tamen *ſuperſtes* fuit, & vice verſâ tempore Salomonis *admota* fuit *Sacerdotio*, repudiatis *Eli* & *Itthamaris* poſteris. 1. Reg. II. 35.

§. 12.

Qualitas Silentii ſcripturarii diſtingui poteſt, ſi ſilentii *Auctorem* diſtinguas. *Divinum* ſilentium ſemper *bonum* eſt, nunquam malum. Verùm in ſacra Scriptura occurrit quoque *Silentium non Divinum*, quod latiore ſenſu *Scripturarium* dici poteſt. Hoc verò reſpectu *qualitatis* diſtingui poteſt in *bonum* & *malum*. Silentii *boni* in Scriptura occurrentis exempla allegavimus Cap. I. §. XVIII. *mali* ibid. §. XIX. Poſterioris generis exemplum addimus ex Matth. IV. 6. ubi *Satanas* allegat promiſſionem divinam, Pſal. XCI. 11. 12. ſed *malo ſilentio* verba: *In omnibus viis tuis*, non peregrinis, alienis, quæ tamen maximi ſunt momenti, *omittit*.

§. 13.

Si *Durationem* Silentii ſcripturarii reſpicias, aut *temporarium* illud eſt, aut *perpetuum*. *Prioris* generis eſt Silentium, quo ſub *Veteri Teſtamento* ſilentio involuta fuerunt, per annos quater mille, quæ ſub *Novo Teſtamento* annunciata ſunt omnibus. Rom. XV. 25. Huc referri quoque poteſt Silentium illud, quo *Moſes* & *reliqui* Veteris Teſtamenti *Scriptores* texerunt *Vaticinium Henochi* memoratum à Juda, ℣. 14. *nomina Præſtigiatorum Ægyptiorum Jamnes* & *Jambres*, 2. Tim. III. 8. relata à Paulo. *Perpetuum* Silentium eſt, quoties Scriptores *omnes* à Moſe ad Joannem, à primo ad ultimum non memorant, quæ tradere potuiſſent, ſi voluiſſent, ut *Adjutores Noachi* in *Arca exſtruenda*, & hujus generis alia.

§. 14.

Denique si *finem* & *scopum* consideres, Scripturæ Silentium dividi potest in *Commune* & *Speciale*. *Commune* est, quod ad *communem* totius Scripturæ *finem* tendit, nempe ad salutem generis humani. *Speciale*, quod ad *finem* aliquem *specialem* direxit Divina Sapientia. *Prius* sano sensu dici potest *necessarium*, quia non potuit Deus optimus, sanctissimus, verissimus revelare saluti hominum noxia, inepta, impura, erronea & falsa. *Posterius* vocari potest *liberum*, quia, quæ dici salvis virtutibus divinis potuissent, ob causas finesque particulares non traduntur, sed silentur.

§. 15.

Cùm necessarium vocamus Silentium impurorum, erroneorum ac falsorum, non negamus in Scriptura quoque hujusmodi verba aut res *commemorari*, sed à *Deo* hæc *dici* aut perfici negamus. Non ergo Silentium scripturarium accipimus *sensu latiore*. Ita enim fatemur, Scriptores sacros interdum narrare *impiorum dicta* & *facta pessima*, non ut probent, sed ut ostendant divinarum pœnarum causas, naturæ humanæ summam corruptionem, & necessitatem tum prudentiæ justorum, tum conversionis malorum. *Strictè* autem loquendo, Silentium Scripturæ est *Silentium Dei ipsius* in verbo gratiæ loquentis. Et hoc sensu *necessarium* statuimus Silentium, quod *Deus se ipsum* & perfectiones suas, sive dictis, sive factis *abnegare nequit*. 2. Tim. II. 13.

§. 16.

Ut igitur pateat, quodnam ſit hujus laboris noſtri objectum, quodnam hujus Opuſculi *Argumentum*, monemus Lectorem, non agi

1. De Silentio Scriptoris *unius* aut *paucorum* ſpeciali, neque
2. De Silentio Scripturæ *paſſivo*, quod obtinet apud Verbi Divini contemptores, ſive peccatum illud ſit, ſive pœna, neque
3. De Silentio *imperfecto* ſeu apparente, cùm Scriptura videtur omittere, quod tamen re ipsâ dicit, neque denique
4. De Silentio *communi*, cujus alia dari nequit ratio, quàm ſuperfluorum omiſſio; vel *neceſſario*, quo, quæ divinæ bonitati, ſanctitati & veritati contraria, non dicuntur, quia dici non poſſunt.

Agitur contrà

α. De Silentio *ipſius Dei* in verbo alia dicentis, alia ſilentis.

β. De Silentio *Scriptorum omnium*, ſaltem *plurimorum*.

γ. De Silentio *activo*, quod ipſi Scriptores ſervant.

δ. De Silentio *vero*, cùm neque apertè, neque obſcuriùs memorantur ea, quæ deſiderari poſſunt.

ε. De Silentio *perpetuo*, vel ſaltem *diuturno*.

ζ. De Silentio *libero*, quo teguntur ea, quæ illæſis virtutibus divinis dici potuiſſent, ſi Divina voluiſſet Sapientia ea dici, & non ſileri.

η. De Silentio magis *speciali*, cujus allegari possunt rationes non solùm generales, sed & speciales.

θ. De Silentio denique omnis generis *Dogmatico*, *Morali*, *Historico*, *Typico* & *Prophetico*, si modo à Lectore Scripturæ attento, vel Auditore observari possit.

CAPUT III.

DE SILENTII CAUSIS ET FINIBUS.

§. 1.

UT inter Causas *Finalem* quoque recensent Logici, ita quoque in Silentio Scripturæ sacræ vix differunt *causæ* à *finibus*, aut fines à causis. Semper *causæ* producunt *effectum fini* conformem, semper *fines* respondent *causis*. *Distingui* quidem possunt, sed *divelli* nequeunt.

§. 2.

Distingui possunt *Causæ*, quæ media ad certum finem dirigunt, à *finibus*, quibus destinantur media. Ita Divina Majestas interdum silentii causa est; cavet enim, ne humiliter de scripturæ Auctore cogitemus. Causa est Majestas Divina, finis sublimis de Deo sensus, medium est silentium; sed tamen *divelli* hæc non possunt. Nam ut Majestas est causa silentii, ita Majestatis agnitio est finis. Quod *respectu silentii causa* vocari potest, idem *respectu Dei & hominum finem* dicere licet: varia tantùm est *Relatio*.

§. 3.

Sanè ad caufas filentii fcripturarii præcipuè referenda eft Divina *Sapientia*; fapientiæ verò eft *fini* optimo accommodare *media* convenientiffima. Ergo Sapientiæ Divinæ eft quafcunque filentii fcripturarii caufas ad fines decentiffimos dirigere, feu, quod idem eft, illos eligere fines in quoque filentio, qui caufis filentii, nempe fummis Dei perfectionibus, conveniunt. Primùm itaque de filentii *Caufis*, deinde de illius *Finibus* differemus, fed ita, ut in praxi illa *conjungamus*.

§. 4.

Caufæ Silentii, quo nunc hæc, nunc illa tegit fcriptura facra, funt vel *generales* vel *fpeciales*. *Generales* in *omni* filentio locum habent, *fpeciales* in *quibufdam* filentii exemplis, non omnibus, patent. *Illæ* has ambitu fuo complectuntur & continent, *hæ* illas fupponunt. *Illæ* ad has ducunt; *hæ* autem illis fubordinari poffunt & debent.

§. 5.

Caufæ filentii *generales* funt Divina *Majeftas*, *Veritas*, *Bonitas* & *Sapientia*. *Majeftatem* decet Divinam loqui *magna*, *Veritatem neceffaria*, *Bonitatem utilia*, *Sapientiam* hominis peccatoris *conditioni accommodata*. Silentur igitur, quæ Divinæ Majeftati, Veritati, Bonitati & Sapientiæ non conveniunt. Quoties autem Bonitas Divina *fpeciale* aliquod commodum, quoties Sapientia *fingularem* hominum ftatum in ipfo filentio refpicit, toties *Caufæ fpeciales* filentii apparent.

§. 6.

Causarum igitur *generalium* prima est *Majestas* Summi Numinis, quâ Deus scripturæ Auctor res ponderosissimas verbis efficacissimis eloquitur, contrà res leviores silet, & verborum ambages fugit. Immensum enim virtutum divinarum *pondus* (כבוד) in verbo divino refulget. Hinc Evangelium appellatur τὸ Ἐυαγγέλιον τῆς δόξης τȣ̃ χριστȣ̃, 2. Cor. IV. 4. *Evangelium Christi* (cujus *Auctor*, cujus *Argumentum*, cujus *Scopus* unicus est *Christus*) *gloriosum*, in quo divinarum virtutum, imprimis sapientiæ, justitiæ, misericordiæ & veritatis latet pondus, patet splendor.

§. 7.

Agnoscunt illam Majestatem Verbi Magistri Judæorum *ex singulis Scripturæ sacræ apicibus montes integros pendere* affirmantes. Agnovit *Longinus*, quamvis à vera veri Dei cognitione alienus, imprimis in Historia Creationis Mosaica, τὴν δύναμιν Θεȣ̃ κατὰ τὴν ἀξίαν, *potentiam Dei pro dignitate expressam esse* confessus, in libro περὶ ὕψȣς de sublimitate. Expertus eandem est FRANCISCUS JUNIUS, qui lecto initio Evangelii Johannis ita perculsus est Verbi Divini Majestate, ut feliciter ex Atheismo evaserit.

§. 8.

Patet ergo Divina loquentis in scriptura Dei *Majestas* vel in ipsa *verborum efficacia*, quæ paucis multa audientium vel legentium animis instillat. Hinc omittuntur *superflua*. *Audire* βαττολογίαν seu vaniloquentiam non convenit

nit Divinæ Majeſtati, multò minùs *proferre.* Matth. VI. 7. Non decet *Principes* humanos in edictis *verborum ambages* ſectari, multò minùs id decet *Regum Regem* & *Dominum Dominantium.*

§. 9.

Imitantur Majeſtatem loquentis Dei *Principes* & *Magiſtratus* humani, Dei quaſi in terris Vicarii, ſed ita imitantur, ut probent, longè infra Divinam Dignitatem ſubſidere gravitatem hominum. Exemplo ſit affectata, & ſæpè divinis mandatis contraria *Laconicorum Decretorum Brevitas.* Liceat ὡς ἐν παρόδῳ quædam allegare exempla. Quando Alexandro M. divinos honores ambienti Spartanorum Magiſtratus paruit, hâc lege latâ: Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βȣ́λεται Θεὸς ἐῖναι, ἔςω Θεός, *quoniam Alexander vult eſſe Deus, eſto Deus.* Quid de his judicat ÆLIANUS? Obſervat τὸν Ἀλέξανδρον, ὑπὲρ ἐκ τῆς φύσεως ȣ̓κ ἐῖχε, ταῦτα ἐκ τῶν ἀνθρώπων ἀιτȣ̃ντα μὴ κερδάινειν, *Alexandrum quæ per naturam non habuit, ab hominibus precariò accipere haud potuiſſe.* Var. Hiſt. Lib. II. Cap. XIX. optimè. Aliud enim eſt ἁρπαγμὸν ἡγȣ̃ιϑαι, ἐῖναι ἴσα Θεῷ, *ſibi rapere æquales cum Deo honores;* aliud ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχειν, *reverà Deo eſſe ſimilem.* Phil. II. 6. Longiſſimè diſſident, οἱ μὴ φύσει ὄντες Θεοὶ, à Deo, qui eſt per ipſam *naturam* verus Deus. Gal. IV. 8. Addimus ex eodem *Æliano* Decretum Laconicum in Clazomenios: Ἐξέςω Κλαζομένοις ἀσχημονεῖν, *licitum ſit Clazomeniis honeſtatem lædere,* eique opponimus Decretum Divinum par bre-

vitate, ſed æquitate infinitis modis præſtantius, ἡ ἀγάπη ὐκ ἀσχημονεῖ, *nihil honeſtati contrarium admittit amor.* 1.Cor.XIII.5.

§. 10.

Verùm ſufficiunt allegata exempla ad probandam Divinæ *Majeſtatis* non ſolùm in *verbis brevitatem*, ſed etiam in *rebus decentiam* nulla hominum arte imitandam, & præter ſcripturam ſacram in nullis hominum ſcriptis inveniendam. Hinc igitur per ſe facilè liquet, à Majeſtate ſummi Dei, in ſcripturis loquentis, non eſſe exſpectandam ullarum rerum, niſi *graviſſimarum*, revelationem.

§. 11.

Nam ne quidem integrum eſt, *Principem humanum* de rebus *parvi momenti* ad populi curæ ipſius commiſſam ſalutem non pertinentibus conſulere. Multò minùs curioſitatem ſimilem permittit Divinæ Majeſtatis ſubmiſſa veneratio. Non licuit olim Deum conſulere per *Urim* & *Tummim privato* & de *rebus privatis*, licuit contrà *Regi* aut *Sacerdoti* de rebus ad *ſalutem publicam* ſpectantibus. Ita Sacerdotes ac Reges ſpirituales non alia ex Dei verbo ſcire cupiunt, quàm quæ Eccleſiæ & propriæ ſaluti prodeſſe poſſunt. Qui mille quæſtiunculas movent curioſas, inanes, ſteriles, ad animarum ſalutem non facientes, easque in ſacris oraculis enodatas eſſe volunt, næ illi aut Majeſtatem Auctoris ignorant, aut non venerantur, ut decet, quam nôrunt & profitentur.

§. 12.

Altera Silentii Scripturarii cauſa eſt Divina *Veritas*, quæ id præſtat, quod promittit. Non alia autem promittit in *Verbo Salutis*, Act. XIII. 26. & *Evangelio Salutis*. Eph. I. 13. quàm quæ tradunt *ſalutis viam*, Act. XVI. 17. quæ habent *vim ſalvandi*, Rom. I. 16. Abſunt ergò, quæ non vel *immediatè* vel *mediatè* ad ſalutem æternam & perfectam ducunt. Abſunt omnia, quæ non ſunt ἐχόμενα τῆς σωτηρίας, quæ non aliquo ſaltem modo, quem non ſemper aſſequitur ratio humana, *cum ſalute* animarum immortalium cohærent. Ut *totam* Dei voluntatem gratioſam de ſalvandis in Chriſto peccatoribus tradunt Scriptores ſacri, ita quoque *ſolam* tradunt, διεσ̣ραμμένα *avia* & *devia*, ad viam ſalutis monſtrandam non pertinentia, ſed potiùs à recto tramite abducentia procul eſſe jubent. Act. XX. 27. 30.

§. 13.

Succedit Cauſa *tertia*, ſcil. Divina *Bonitas*, quæ neque ſaluti noſtræ proficua deeſſe, nec ab utilitate noſtra aliena, aut ſaluti noxia adeſſe patitur. *Bonus* & *integer* eſt Jehovah, ideò *monſtrabit viam peccatoribus*, ne aberrent, ſive ad dextram, ſive ad ſiniſtram. Pſal. XXV. 8. *Temperat* hæc Bonitas Majeſtatem Divinam, quando Deus in verbo loquens non ſolùm ſuæ *Magnitudinis* & ſummæ Perfectionis, ſed etiam noſtræ *debilitatis* rationem habet. Ita Chriſtus olim debilitati Diſcipulorum conſuluit, dicens: *Non poteſtis ferre*. Joh. XVI. 12. Bonitas hæc

Divina ſimul Veritatis *norma* eſt. *Præſtat* enim *Veritas*, quæ ſaluti noſtræ *deſtinavit Bonitas.*

§. 14.

Bonitas Divina *rectâ viâ*, *breviſſimo itinere* ducit ad Canaanem cœleſtem, ut olim *Juſtitia* inobedientiæ index Iſraëlem *longo itinere* deduxit in Canaanem terreſtrem. Potuiſſet Deus, in verbo ſalutis *plura* revelare, quàm revelavit eáque utilia, ut accuratiorem creationis deſcriptionem, exactiorem Eccleſiæ veteris Hiſtoriam, pleniorem Chriſti Biographiam, plures Eccleſiæ Apoſtolicæ circumſtantias, & quæ hujus generis ſunt alia. Verùm ut hæc *in ſe* ſunt *utilia*, ita *relata* ad *humanam ſortem* ac debilitatem *oneroſa* fuiſſent & *noxia.* Hanc debilitatem noſtram optimè novit optimus Deus. *Hanc* ſilentii *cauſam* tradidit ipſa Scriptura Joh. XXI. 25. *Multa ſuperſunt alia, quæ Jeſus fecit. Verùm, ſi omnia illa ſingulatim deſcribenda eſſent, mundum ipſum libros capere non poſſe arbitror.*

§. 15.

Si ne quidem *utilia omnia* revelari permiſit revelantis Bonitas debilitati humanæ parcens, multò minùs *curioſa* & *noxia* per Bonitatem Divinam revelari potuerunt. Non decet enim Deum optimum alere, fovere, allicere, augere *curioſitatem* hominum. Morbus hic eſt generis humani ex lapſu primorum parentum, qui curioſitate ducti & mala ſcire flagrârunt, contractus. Sanat hunc morbum ſcriptura, non probat aut tegit. Sanat autem, dum animum noſtrum revocat ad ſola neceſſaria à cu-

riosis, cavet, ne hinc inde evagetur, inculcat curam salutis, in qua totum vitæ humanæ tempus consumendum est, cui vix sufficit ætatis humanæ brevitas, suadet ea, quæ scopo creationis & redemtionis serviunt, dissuadet ea, quæ ab hoc scopo sunt aliena. Luc. X. 42. Phil. II. 13. Matth. VI. 36. 1. Cor. VI. 20.

§. 16.

Non tamen ideò *Varietatis* voluptatem Lectori attento denegat Scriptura sacra. Continet enim varia, *historias*, *dogmata*, *præcepta*, *minas*, *promissiones*, *vaticinia*, *typos*. Exhibet varia tum ad doctrinam *veritatis* cognoscendam, tum ad *errores* dignoscendos & refutandos, tum ad *virtutis* ac pietatis institutionem, tum denique ad vitiorum & nævorum *correctionem* facientia. 2. Tim. III. 16. Ut *varietas* apparet *materiæ*, ita quoque *varius* est revelationis *modus*, πολύτροπος est sermo Dei, Hebr. I. 1. verùm hæc omnia ad *unum scopum* collineant. *Unus Christus* est palmarium, & unicum tum promissionum in verbo Prophetico, tum Evangelii objectum. *Testimonium de Christo* venturo est omnis *Prophetiæ spiritus* & vita. Apoc. XIX. 10. *Præconium Christi* est *argumentum* totius *Evangelii*. 1. Cor. II. 2. Adest ergò *salutaris* varietas ad Christum ducens, abest *noxia* à Christo abducens.

§. 17.

Sapientia est Divina, *quarta* Silentii scripturarii Causa, quæ definit, quid ad salutem nostram revelandum sit, quid non? quid dicen-

dum, quidve silendum? Sapientia Divina non alium in revelando verbo gratiæ intendit *finem*, quàm *optimum*, nempe gloriam divinarum virtutum in salute hominum declarandam, nec alia *media* eligit, nisi *convenientissima* fini, revelat huic fini consona, omittit aliena. Utroque igitur modo Sapientia Divina sese prodit, tum in sermone, tum in silentio. Effulget hujus *Sapientiæ* cœlestis *imago* in hominibus ex tempestivo sermone & silentio, ex prudenti etiam selectu dicendorum & tacendorum. Hinc *Anycronam* Deam coluerunt Romani silentio præfectam, cujus simulacrum clausum & *obsignatum os* præ se ferebat, ut in silentio prudenti divinum quid inesse ostenderent, teste ALEXANDRO ab ALEXANDRO Gen. Dierum. Lib. IV. Cap. XVI. Et *Numam Pompilium* ferunt unam è Musis præcipuo honore coluisse, eámque *Tacitam* à tacendi scientia dixisse.

§. 18.

Cohærent hæ Silentii Divini Causæ. *Una* in Deo est perfectio, quam Deus cognoscit, quam amat vi sanctitatis purissimæ, quam illustrari vult & manifestari. Hinc *una Sanctitas* ut causa silentii considerari potest. Per illam enim sola ea, quæ ad gloriam divinæ perfectionis illustrandam faciunt, in verbo suo revelavit Deus sanctissimus, missis reliquis. Ideò Scriptura & *Dei* revelantis Jes. VI. 3. XLIII. 3. 14. 15. 1. Petr. I. 15. & *verbi* revelati Rom. I. 2. VII. 12. Joh. XVII. 17. 19. & *fidei*, quæ verbo credit revelato, *sanctitatem* & vim sanctificandi inculcat.

§. 19.

Poteſt in his ſilentii cauſis ſuaviter *acquieſcere* animus humanus, ut ultra id, quod revelatum eſt in verbo, nihil planè deſideret, ſi veneretur Divinam *Majeſtatem*, quam non alia, quàm graviſſima, decent, ſi cogitet, nihil eſſe gravius ſalute immortalium animarum, ſi amet *Bonitatem*, quæ ſaluti congrua revelare decrevit, ſi celebret *Veritatem*, quæ promiſſa præſtitit, ſi admiretur *Sapientiam*, quæ tum dicenda, tum ſilenda ad ſalutis finem ordinavit. Cui magis explorata eſt mediorum ſalutis cum ſcopo cohærentia, quàm Deo ſapientiſſimo? Cui notior hominum natura, indoles, ſtatus, conditio? Quis melius conſulet ſingulis & omnibus in tanta ingeniorum & morum diverſitate? Hæc omnia aut planè ignoramus, aut imperfectè cognoſcimus, aut à poſteriori demum colligimus. Temerarii igitur ſunt, qui divini ſermonis & ſilentii omnem modum ad rationis ſuæ decempedam exigere & menſurare ſuſtinent, imò illud ſilentium damnare audent, cujus cauſas ſpeciales allegare non poſſunt.

§. 20.

Dantur tamen multa ſilentii exempla, in quibus *Cauſæ ſpeciales* aut primo intuitu patent, aut meditatione diligenti detegi poſſunt. Cauſæ illæ ſpeciales ſunt Divinæ Bonitatis *effectus*, vel Divinæ Sapientiæ *fines*. Quoties enim Divina *Bonitas* per ſilentium ita manifeſtatur, ut *ſpeciale* aliquod *commodum* inde redeat ad attentum ſcripturæ ſacræ Ruminatorem, toties

commodum illud ut *causa specialis* silentii considerari potest. Ita silentium Mosis, quo *Angelorum* texit *creationem*, qui tamen reliqua Dei opera satis accuratè recensuit, hanc causam habet, quod Mosis tempore nondum invaluit Angelolatria. Obtinuit autem cultus astrorum & animalium & plantarum quoque apud Ægyptios; hinc Moses singulatim ostendit, ea omnia esse summi & unius Dei opera, quæ pro Diis coluerunt Ægyptii; silet autem originem Angelorum, quorum adoratio ignota fuit Mosis ævo.

§. 21.

Causæ illæ *speciales* dividi primò possunt in *Theoreticas* & *Practicas*. Illæ ad *fidem*, hæ ad *mores* spectant. Ita in Veteri Testamento dogma *SS. Trinitatis* non tam perspicuè & totidem verbis traditur, ut in Novo Testamento. Aliqua saltem species apparet silentii. Allegari possunt causæ speciales, primò *Theoreticæ*, quia major pars populi Israëlitici crassos & carnales de Deo conceptus fovit, quos in SS. Trinitate admittere periculosum est, & quia in Veteri Testamento obscurior fuit mysteriorum divinorum cognitio, quæ clarior est in Novo Testamento. Deinde addi possunt *Practicæ*, quia Jacobidæ proclives erant ad *Polytheismum*, à quo abstrahendi erant per clariorem & frequentiorem *Unitatis* & *Simplicitatis* Divinæ inculcationem.

§. 22.

Deinde distingui quoque possunt Causæ speciales *positivæ* à *negativis*. *Priores* docent *utile*

esse silentium & *salutare*, *posteriores* probant, dictu *necessaria non fuisse* ea, quæ silentur. Ita in sacrificiorum agitatione obtinuisse quoque *eleuationem*, tradunt Judæorum Magistri, & Chaldæus Interpres interdum verbum הניף reddit ארים *attollere*, & sacrificia ipsa sursum sublata ideò vocantur תרומות. Moses tamen *silet* hanc elevationem. Dari potest causa specialis *positiva*, quia hoc ipso indicatur *vilitas* sacrificiorum brutalium, quæ in se non merentur accedere propiùs ad thronum Dei cœlestem. Antitypi hæc prærogativa est, in quo patet *altitudo* & *profunditas*, *longitudo* & *latitudo Amoris Divini*, Eph. III. 18. quod dictum illustravimus in Diss. de Thesauro Evangelii Apostolis credito, in Procemio §. 5. seqq. Allegari quoque potest causa *negativa*, quia in *agitatione* & *elevatio* continetur, ut *species* in *genere*; ergò *utræque* simul commemorari non debent.

§. 23.

Cohærent plerumque Causæ Practicæ cum Theoreticis, quia Scriptura sacra continet doctrinam *veritatis secundùm pietatem*. *Utræque* concurrunt in silentio *Annorum Vitæ*, quod perpetuum est in Novo Testamento. Causa *Theoretica* est, quia *longævitas* fuit *promissio externa fœderis externi* Sinaitici, non fœderis interni & æterni, quod solùm obtinet sub Novo Testamento. Causa *Practica* est, quia in Novo Testamento bona & *meliora* & *firmiora* quærenda, quæ omnia vitæ æternæ nomine veniunt. Non tamen adeò frequens est confluxus

causarum positivarum & negativarum, quia sæpiùs solæ negativæ debent sufficere latentibus positivis.

§. 24.

Cum Causis contemplandi quoque *Fines* Silentii Divini in Scriptura sacra, quos sæpè cum causis conspirare supra in Capitis hujus initio notavimus. Distinguuntur autem *Fines*, propter quos quædam silet scriptura in *primarium* & *secundarium*, deinde in finem *ultimum* & *subordinatos*, denique in finem *universalem* & *particulares*.

§. 25.

Finis *primarius* & *ultimus* & *universalis* Silentii Scripturæ est *Gloria virtutum divinarum*, ipso silentio declaranda, illa nempe, quæ ut Patris gloria manifestatur in Filio per Spiritum S. Joh. XVII. 22. 2. Cor. III. 18. Finis *secundarius* & *subordinatus*, ad primarium & ultimum tendens, est *Salus hominis* peccatoris promovenda per sermonem non solùm, sed per ipsum quoque silentium. Joh. XX. 31. XXI. ult. Fines *particulares* sunt nunc *hæc*, nunc *illa Perfectio* Divina illustranda, nunc *hæc*, nunc *illa commoda* humani generis promovenda per ipsum silentium.

§. 26.

Fines illi particulares Silentii Scripturæ dividi possunt, ut causæ speciales, in *Theoreticos* & *Practicos*. Illi tendunt ad *veritatis cognitionem* promovendam, vel *erroris periculum* vitandum; hi verò ad *pietatem* & officia pietatis inculcanda, vel *vitiorum* fugam commendan-

ctam. *Cohæret* tamen plerumque *uterque* Finis Theoreticus & Practicus. E. g. Quando siletur *Angelorum creatio*, allegant Judæi hunc scopum silentii *Theoreticum*, ne scilicet Angeli viderentur *adjutores*, operum sequentium causæ sociæ. Cohæret Finis *Practicus*, nempe ut *solus Deus*, omnis boni *origo unica*, *unicum* sit *objectum cultûs*, obsequii & fiduciæ.

§. 27.

Quàm variæ causæ, quàm varii quoque fines esse possint in singulis Silentii Divini speciebus, & quibus modis erui & inveniri in singulis exemplis causæ speciales, vel fines particulares possint & debeant, quæ subsidia adhibenda, quæ cautelæ observandæ in hoc studio sint, Parte sequente alterâ docebimus.

Pars Secunda

Subsidia & Regulas generales ac speciales inveniendi & judicandi Causas & Fines Silentii Divini in Scriptura S. tradens.

Caput I.

Subsidia seu Media exhibens.

§. 1.

Quemadmodum in *Studio Hermeneutico* duo præcipuè tenenda sunt, tum *Subsidia* seu *Media* interpretandi Scripturam sacram, tum *Regulæ* usum mediorum prudentem dirigentes: ita quoque in ea Hermeneuticæ sacræ parte, quæ inquirit in ea, quæ Deus in scriptura loquens sapientissimo *silentio* texit, partim *media* detegendi silentium, partim *regulæ* de sacris παραλειπομένοις, eorumque caussis ac finibus judicandi in promtu esse debent.

§. 2.

Media silentii detegendi sunt vel *interna* vel *externa*. *Priora* continentur in sinu Scripturæ sacræ ipso. *Posteriora* aliunde conquirenda sunt. *Duobus* hisce generibus continetur quoque omnis *Mediorum Hermeneuticorum* ambitus. Iisdem ergò utimur vel ad *inveniendum*, vel ad *explicandum* scripturæ silentium. Si *posterius* non licet, si latet illud, quod siletur, *prius* tamen licebit, ut ex certis constet indiciis, aliquid esse silentio involutum, quod re-

velari potuisset, si id cognitu utile & necessarium judicâsset scripturæ Auctor sapientissimus.

§. 3.

Media interna in ipsis scripturæ penetralibus invenienda, & ad silentium inveniendum aut explicandum applicanda præcipuè sunt consideratio *nexûs* cum antecedentibus & consequentibus, indagatio *scopi* loquentis, contemplatio *circumstantiarum*, & denique *collatio* Scriptoris unius cum altero, aut Scriptoris ejusdem cum eodem.

§. 4.

Nexus cum antecedentibus & consequentibus non tantùm ostendit, *quod* aliquid desit, sed etiam sæpe aperit, *quid* desit. Ita Gen. XLV. 15. dicuntur *Fratres locuti cum Josepho*; tacetur autem *materia* & argumentum sermonis. Ex *nexu* tamen colligimus, præcipuum colloquii scopum fuisse *deprecationem injuriæ* fratri quondam illatæ. *Recordabantur* enim diu antè hujus sceleris Jacobidæ, Cap. XLII. 21. *Promittit condonationem Josephus*, Cap. XLV. 5. sic quoque non memoratur Joh. II. 1. seqq. *Sponsi* aut *Sponsæ*, quorum nuptiis interfuit Christus, *cognatio* cum Matre Virgine. Colligimus tamen hoc vinculum cognationis ex filo narrationis, ex invitatione solenni Christi & Discipulorum, eodem sanguinis nexu junctorum, ex præsentia Matris, ex ejusdem cura pro honore Neogamorum, &c.

§. 5.

Ut *scopus* loquentis ex nexu sermonis apparet, ita idem non rarò ad silentii explicationem

ducit. Ita in *enumeratione posterorum Aaronis* scopus Esdræ est Cap. VIII. eos præcipuè recensere, qui *functi* sunt *summo Sacerdotio*. Mirum igitur videri non debet, si *sex Aaronis* per Eleasarem *filii*, nempe *Amazia*, *Abitub*, *Zadok*, *Achimaaz*, *Azaria*, *Johanan*, omittuntur, quippe qui Pontificatûs honorem adepti non fuerunt. Conf. 1. Chron. VI. 4. 5. 6. & vid. Joh. Lightfooti Chronicam Temporum Vet. Test. Tom. I. opp. pag. 53. Idem de *aliis* Aaronis posteris 1. Chron. VI. 3. seqq. omissis observat *Humphredus* Prideaux Connex. P. I. pag. 50.

§. 6.

Ex *circumstantiis* facti alicujus vel historiæ deesse & sileri quædam colligimus, ubi *plures* circumstantiæ memorantur, *aliæ* verò reticentur. Ita 2. Chron. XXXIII. exponitur *Manassis Regis captivitas*. Traduntur circumstantiæ *causæ*, *loci*, *modi*, *effectus*, *eventus*, at non traditur circumstantia *temporis*, quod exegit in carcere. Nec difficile est ex *reliquis circumstantiis* conjicere *causas* hujus silentii; quoniam in vinculis & carcere ad Deum conversus est Rex impius, & commissorum criminum pœnitentiâ tactus, non potuit esse molestus carcer, nec diuturna videri vincula. Locus & tempus captivitatis verè fuit locus & tempus libertatis. Non curat vincula corporis, ferrum & compedes, cui cordi sunt vincula peccati. Lubenti animo cum Apostolis patitur manus pedesque ligari, qui à Satanæ catenis liber est. Dei hic scopus est in pœnis malo-

rum temporalibus, ut, mediante pœnitentiâ, liberentur ab æternis. Si ſequatur hic effectus, ceſſant pœnæ, quarum aut nulla ampliùs, aut brevis ſaltem fit mentio, quia Deus optimus ad beneficia pronior eſt, quàm ad pœnas. Denique hinc diſcimus, non eſſe determinandum pœnitentiæ tempus in iis, quos Deus per caſtigationes ad meliorem mentem revocat; in his citiùs, in illis tardiùs apparere effectum, neque pœnitentibus objicienda eſſe adverſa peccatorum causâ tolerata.

§. 7.

Denique, quæ in *uno* Scripturæ loco præterita ſunt, ex *aliorum collatione* ſuppleri ſæpè poſſunt. Ita ipſa illa Regis Manaſſis captivatio & converſio non memorantur in libris Regum, ſupplentur tamen ex libris Chronicorum. Scriptorum *alii* ſuccurrunt *aliis*. *Idem* quoque Scriptor propria interdum ſupplet ſilentia. Ita in Vaticinio *Habakuci* non indicatur hujus Prophetæ *ætas*, in qua vixit. Colligimus autem ex *Argumento* Vaticinii, nempe Iſraëlis in omnis generis ſcelera ruentis pœnâ ſeveriſſimâ per Chaldæos infligendâ, divino judicio, ipſum eodem, quo *Jeremias*, tempore, publico munere Prophetico defunctum eſſe.

§. 8.

Præter media hæc interna inveniendi & explicandi ſilentii divini in ſcriptura adhiberi etiam poſſunt *externa*; in quibus primo loco memorandæ veniunt *Paraphraſes Chaldaicæ*. Ita Targum Hieroſol. ſupplet Gen. IV. 8. omiſ-

ſum *Caini* cum fratre *colloquium*; & addit poſt verba: Et dixit Cainus ad fratrem Habelem, *non eſt Judex, nec judicium, neque ſeculum aliud, nec merces juſtis, nec pœna improbis, nec in miſerationibus conditus eſt mundus, nec per miſerationes gubernatur, quod oblationem tuam accepit, non meam.* Nec malè ita ſuppleri omiſſa colligimus ex *Epiſtola ad Hebræos* Cap. XI. ubi *Cainus ſine fide, Abel in fide obtuliſſe ſacrificium* dicitur. Idem Targum Gen. XXV. 22. addit, *Rebeccam in ſcholam Semi abiiſſe*, & voluntatem divinam exploràſſe. Denique Num. XXI. 19. idem narrat, *aquam petræ deſcendiſſe* cum Iſraële *in valles*, & de vallibus *aſcendiſſe* cum eis *in colles*, quod conferri meretur cum 1. Cor. X. 4.

§. 9.

Nec negligendi ſunt *Hiſtorici ſacri* & *profani*, veteres & recentiores, ex quibus ſuppleri nonnulla poſſunt, quæ in ſacris literis ſilentur. Ita *Joſephus* Scriptor Judæus in Antiquitatibus Judaicis & Hiſtoria Judaica, quæ inter Malachiam & Chriſtum, deinde ea quoque, quæ à vinculis Pauli ad mortem Johannis Apoſtoli in populo Judaico geſta ſunt, tradit. Quæ ergò *deſunt* in Hiſtoria Veteris & Novi Teſtamenti, non neceſſaria quidem, ſed tamen utilia, *Joſephus ſuppeditat*; non tamen in omnibus indubiam eſſe hujus Viri, nimis populi ſui famæ & gloriæ ſtudentis, fidem aſſerimus. Ex Joſepho & Hiſtoricis gentium, quæ deſunt in Hiſtoria Veteris Teſtamenti, eruditè ſupplevit *Humphredus PRIDEAUX* in Connexione Vet.

& N. Teſtamenti, Anglicè ſcripta, ſed in ſermonem vernaculum converſa.

§. 10.

Quicunque *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* Veteris & Novi Teſtamenti illuſtrârunt Scriptores Chriſtiani USSERIUS, SPANHEMIUS, BUDDEUS, WALCHIUS, BAUMGARTEN, & innumeri alii, non ſolùm ea, quæ in ſacris literis memorantur, elucidare, ſed etiam, quæ non memorantur, ex Scriptoribus exteris *addere* laborârunt, cujus rei exempla nonnulla in antecedentibus jam allegavimus; alia verò in ſequentibus commemoranda venient.

§. 11.

Huc referendi quoque ſunt *Commentatores*, Scripturam ſacram illuſtrantes, qui paſſim, quæ in Libris Hiſtoricis, Moralibus & Propheticis ſilentur, ad ſenſum tamen Scripturæ aſſequendum neceſſaria ſubminiſtrant. Imprimis uſum poſteriorem præſtant Commentarii *Hiſtorici*, quales ſunt *Hugonis* GROTII, & *Johannis* CLERICI.

§. 12.

Denique & Auctores alii *Syſtematici* & *Philologici* ad media detegendi & explicandi ſilentii ſacri referri poſſunt. Nam qui Syſtemata *dogmatica* ſcripſerunt, tradunt & illa *dogmata*, quæ in ſacris literis videntur *omiſſa*, qui *Moralia* congeſſerunt, *præcepta* ſupplent in ſpeciem *prætermiſſa*, qui *typos* tractant, ſilentium *typicum* notant & exponunt, qui *Prophetica* inter-

pretantur, sæpè implementum ostendunt in iis, quæ in Historia sacra *omissa* commemorârunt Scriptores profani.

§. 13.

Philologi sacri liberiores sunt Systematicis & Commentatoribus, & eam ob causam sæpe aliud agentes silentium scripturæ commonstrant, ejúsque rationem & causas indagant atque declarant. Fecit hoc magna cum utilitate legentium *Johannes* LIGHTFOOTUS in genere in Operibus omnibus, in specie in *Chronica Temporum* & *Horis Hebraicis*; fecit quoque *Fridericus* SPANHEMIUS Pater in *Dubiis Evangelicis*; fecerunt & multi alii, quos recensere omnes neque scopus poscit, neque necessitas exigit. Properandum ad *Regulas*, mediorum usum in silentio sacro inveniendo & judicando ordinantes.

§. 14.

Regulæ autem illæ sunt vel *generales* in omni genere silentii observandæ, vel *speciales* in singulis silentii speciebus, in Dogmatico, Morali, Historico, Prophetico & Typico sequendæ. Sequenti itaque Capite distinctè primò Canones generales, deinde speciales, non tamen omnes, sed praecipuos exhibebimus.

CAPITIS II.
REGULAS SILENTII SACRI INVENIENDI ET JUDICANDI SISTENTIS
SECTIO I.
REGULAS GENERALES PROFERENS.
CANON I.

Silentium Scripturæ ſacræ non fingendum eſt pro lubitu, ſed tum demum admittendum, cùm vel certa, vel ſaltem probabilia id ſuadent indicia.

SI pro lubitu ſilentium ſcripturæ ſacræ *fingere* liceret, facile eſſet *errores* quoſcunque, quos ex verbo divino probare non datur, *ſilentio* voluntario tectos dicere, & ſilentii *cauſas* vel ſpecioſas invenire & allegare. Exemplo ſit Cardinalis BELLARMINUS, qui argumentum, quod ſilentium Apoſtoli Hebr. VII. (ubi Melchiſedeci quidem *benedictio* memoratur ſacerdotalis, ſed de *Sacrificio incruento* altum eſt, ut Gen. XIV. 18. 19. ſilentium) ad oppugnandum Sacrificium Miſſaticum ſuppeditat, ſequentibus Aphoriſmis eludere conatur: 1. Apoſtolus ad Hebræos *non meminit* ſacrificii panis, quia ad *propoſitum* ejus non faciebat. 2. Apoſtolus datâ operâ *omiſit* oblationem panis & vini, ne cogeretur explicare myſterium Euchariſtiæ, quod *altius* erat, quàm ut ab illis capi tunc poſſet. Quis non videt, ſupponi à Bellarmino *Silentium voluntarium*, at non probari? Fruſtrà igitur *cauſæ* ſilentii quæruntur, ubi nondum conſtat de *Silentio* voluntario. *Silentium*

necessarium lubentes volentes admittimus. Non potuit enim Apostolus Melchisedeco adscribere *Sacrificium* panis & vini contra veritatem historicam, cùm Moses Melchisedeco tantùm tribuat *prolationem*. seu productionem panis & vini, quia verbum הוציא nusquam in Scriptura sacra *Sacrificii oblationem* denotat. Rationi quoque adversantur *rationes silentii*, quas Bellarminus allegat. Si Melchisedecus obtulisset sacrificium incruentum, si in Novo Testamento Sacerdotes essent propriè dicti à Melchisedeko adumbrati, si in Ecclesia Christiana perpetuum esset sacrificium propriè dictum per Melchisedeci panem & vinum præfiguratum, annon hujus rei inculcatio quàm maximè fecisset ad *scopum* Apostoli, ad Hebræorum *sacrificiis propriis* nimis adhærentium animos tranquillandos, & in fide Christiana contra Apostasiam obfirmandos? Ita enim satisfactum fuisset desiderio eorum, qui non contenti unico Christi sacrificio, *quotidianas hostias* desiderabant. Non potuit autem hoc argumento uti Apostolus, qui potiùs unicum & æternum Christi ita commendat, ut non solùm *novorum sacrificiorum oblationem*, sed etiam ejusdem sacrificii *repetitionem* rejiciat. Hebr. X. 1.2. 11.12. Quod autem Bellarminus addit, Apostolum noluisse Hebræis explicare Mysterium Eucharistiæ, quia id *supra captum* Hebræorum fuisse dicitur, id nobis suppeditat argumentum, ut vocant, *ad hominem*. Si Hebræi *salvari* potuerunt *sine cognitione Sacrificii missatici*, tutius sanè est inhærere *uni*, *perfecto* & *æterno Christi*

Sacrificio. Ita enim *ſine periculo ſalutis* huic *uni* omnis *ſalutis gloria* datur ſine ulla *repetitione*, quæ cum periculo ſalutis conjuncta eſt, ſi ſine Chriſto non jubente, imò vetante fiat, & unici ſacrificii in cruce peracti ſufficientiam ipſo facto neget. Cœterùm ignorari ſalvâ ſalute poteſt Sacrificium miſſaticum, quod tot ſecula ante inventam Transſubſtantiationem ignorâ-runt. Omittimus alia, quæ de *Myſteriis contra rationem* non pugnantibus dici poſſent.

CANON II.

Non poteſt admitti illud Silentium voluntarium Scripturæ S. quod Analogiæ fidei repugnat.

SCriptura ſacra non *contradicit ſibi ipſi*, ergò non ea *tacitè probat*, quæ alibi *apertè improbat*, quia *idem* eſt Scripturæ *Auctor*, & quidem *Spiritus veritatis*, qui *ducit* in *omnem veritatem*. Ne quidem in ſcriptis *humanis* admittitur ejuſmodi ſilentium, quia nullus Scriptorum *propriis hypotheſibus*, & adoptato ſemel ſyſtemati contradicere, vel ſermone, vel ſilentio creditur. Ita in vocatione *Moſis*, *Eliſæi*, *Jeremiæ*, *Apoſtolorum* nulla memoratur *promiſſio* divina *lucri*, *commodi*, *voluptatis*, aut *bonorum*. Si quis dicere auderet, *voluntario ſilentio* hæc omitti, eſſe quidem, ſed non dici, is magnopere falleretur, & ſcripturam ceu ſibi ipſi contradicentem nefario auſu mendacii accuſaret. *Contraria* omnia leguntur Matth. X. 8. Hebr. XI. 24. ſeqq. Sic quoque *Immaculata B. Virginis Conceptio* ſiletur in Hiſtoria Evangelica.

Contra passim in Verbo Divino asseritur *Corruptio hominum universalis*, solo Christo excepto, Rom. III. 10. 1. Joh. I. 8. & alibi, *omnium* necessaria ad salutem inculcatur pœnitentia, regeneratio & fides, nullo habito discrimine hominum Joh. III. 5. XIV. 6.

Omnium salvandorum, & ipsius B. Virginis *unus* & *solus* Redemtor dicitur *Christus* Act. IV. 12. Luc. I. 47. Contrarium ergò Analogiæ fidei ex Scripturæ apertè dictis eruendæ esset silentium, si diceres, esse quidem sine labe conceptam B. Virginem, sed non memorari in Annalibus sacris hanc Matris Jesu Christi prærogativam. Hinc quoque patebit, quid de *Antonii* PAGI invento sentiendum sit, qui affirmat, à Patribus Ecclesiæ primævæ multa dogmata ac ritus de industria *celari* ob *disciplinam arcani*, & imprimis *Sacramenta VII.* Silentii hujus voluntarii exempla allegat, in *Critica* Baronii ad Sec. II. pag. 25. Placet confessio Pagi, à Patribus antiquis non memorari septem Sacramenta largimur testanti Historico. Sed an ob disciplinam arcani non memorantur? Adesset huic invento aliqua veri species, si Patres illi, qui silent Sacramenta VII. silerent quoque *Baptismum* & *Eucharistiam*, quorum tamen frequentissimam mentionem Patrum illorum scripta exhibent.

Saniora longè sunt, quæ habet *Joh.* LAUNOJUS de Argumenti negantis auctoritate. Vid. Acta Eruditorum ad Annum MDCCXXXIV. pag. 113.

CANON III.

Contrà agnoſcendum eſt Silentium Scripturæ ſacræ, ſi rationes idoneæ ſuadeant, Silentium, de quo agitur, non eſſe neceſſarium, ſed voluntarium.

ADmitti *poteſt* Silentium tanquam *voluntarium*, ſi *Analogiæ fidei* contrarietur. Admitti *debet*, ſi probari *argumentis* ſat firmis poſſit, ex alicujus dogmatis, præcepti, vel facti ſilentio ſeu omiſſione non ſequi Argumentum negans, id eſt, ſilentium non eſſe neceſſarium, ſed ea, quæ ſilentur, dici potuiſſe. Non caret exceptione regula illa TERTULLIANI de Monogamia Cap. IV. *Negat Scriptura, quod non notat. Interdum* id obtinet, non *ſemper* & *ubique*. In Silentio *neceſſario* locum id habet; non in *voluntario*. Si *generalis* eſſet regula illa, quid judicandum eſſet de Pædo-Baptiſmo? Optimè *Jacobus* BASNAGIUS in Hiſt. de l'Egliſe Lib. IX. Cap. VI. Argumenti negativi *uſum* ab *abuſu* diſtinguendum monet. Concedit enim *Argumentum* à Scripturæ Divinæ *Silentio* derivatum firmum eſſe, ad dogmatis aut facti veritatem deſtruendam, ſi 1) dogmata illa, quæ in ſacris non leguntur, pertinerent ad *ſalutem* hominum, ſi revelata eſſent, qualia ſileri non patitur Divina Sapientia, Bonitas & Veritas. Nam per Sapientiam Deus novit ad ſalutem neceſſaria, per Bonitatem eorum revelationem promittit, per Veritatem præſtat. Deinde ea tutò ut falſa rejici ſtatuit, quæ 2) in narratione rerum geſtarum omittun-

tur, & ad *ſcopum* narrationis referenda eſſent, ſi verè eſſent facta. Contra non negat Scriptura, quæ tacet, ſi (α. *voces* & *termini* tantùm deſiderentur, non autem *res* ipſa, ſi (β per legitimam *conſequentiam* elici ex dictis poſſit, quod expreſſis verbis non dicitur, ſi (γ illud, quod ſiletur, ad *ſalutem* non ſit neceſſarium, ſi denique (δ facti aliqua omittatur *circumſtantia*. Vides igitur, quibus in caſibus ex ſilentio Scripturæ ſacræ peti poſſit Argumentum negativum contra rei veritatem, vel non poſſit, vel quod idem eſt, quando in Scriptura aliquid omiſſum, & Silentio voluntario tectum dici poſſit, vel non poſſit? Ex magno numero pauca ſeligemus exempla Silentii voluntarii.

Recenſentur Hebr. IX. 2. *Vaſa Sanctuarii*, & omittitur *Altare ſuffitus*. An hinc colliges, *non fuiſſe* in ſancto Altare aureum, contra evidentiſſimum Moſis teſtimonium? An ſequitur ex hoc Silentio Argumentum negativum? Narratur Gal. II. 11. ſeqq. *diſſidium* inter Petrum & Paulum, ſiletur autem *reconciliatio*. An igitur credes, Apoſtolos illos imagine Doctoris manſueti decoratos, ejusque præceptis conformatos, imò tantopere manſuetudinem aliis commendantes *irreconciliabiles* fuiſſe? Non memoratur in Annalibus ſacris *mors Caini*. An hinc inferes, Cainum *immortalitate* donatum fuiſſe? Silentur *Adjutores Noachi* in exſtruenda Arca. An inde conſtat, Noachum ſolum tantam molem, ſine omni auxilio ſuorum vel aliorum, exſtruxiſſe? Sufficiant hæc ad probandum Silentium Scripturæ voluntarium, non quidem

ubique, & pro lubitu, ſed tamen multis in locis, quoties idoneæ id ſuadent rationes, admittendum.

CANON IV.

Longè facilius eſt invenire Silentium ipſum, quàm illud, quod ſiletur, detegere.

IMprimis in narratione hiſtorica, cùm *ſola nomina* commemorantur hominum ignotorum, ſtatim apparet deeſſe ea, quæ ad aliquam illorum *notitiam* Lectorem ducere poſſent. Ita Gen. IV. 22. ſimul memoratur *Tubalcainus* & *Noëma*, liberi Lamechi. Cauſa memorati *Tubalcaini* additur, nempe *inventio fabrilium*. Siletur autem cauſa memoratæ *Noëmæ*, nec additur quicquam, quod vel ad laudem, vel vituperationem illius pertineat. Latet ergò non *ipſum Silentium*, ſed illud, *quod ſiletur*, nullâ conjecturâ attingi poteſt, utrum pietas vel impietas, utrum bene - vel malefacta Noëmam nobilitaverint, non conſtat.

CANON V.

Facilius quoque eſt invenire illud, quod ſiletur, quàm ſupplere Silentium.

ALiud eſt *Silentium invenire*, ut ſcias, in qua materia aliquid omiſſum ſit, & ad quam ſpeciem ſit referendum illud, quod omiſſum; aliud verò *ſupplere Silentium*, & dicere, quod omiſſum eſt. Quo tempore *Daniel* & *Nehemias* mortui fuerint, non tradit Scriptura. Fa-

cile est *invenire* hoc silentium. Homines fuerunt & mortales. Non datur ulla à lege moriendi exceptio, nisi per miraculum. Hoc autem rarissimum fuit, & accuratè in Henocho & Elia observatum, posterisque traditum. Sed *supplere* silentium hoc, tempus mortui vel Danielis vel Nehemiæ accuratè determinare, hoc opus, hic labor est. Quis *Successor Nehemiæ* fuerit, non apparet ex monumentis sacris. Apparet ergo silentium. Sed quis successerit, an eodem, quo Nehemias, munere functi deinde fuerint Pontifices Maximi, profundè ignoramus.

Canon VI.

Difficilius tamen est Silentii causas indicare ac fines, quàm Silentium ipsum supplere.

Silentium interdum supplet ipsa *Scriptura sacra.* Ita *Vaticinium Henochi* de ultimo & universali judicio à Mose omissum supplet Judas Apostolus ℣. 14. Ita *Cainanem* filium Arphaxad, nepotem Semi à Mose præteritum supplet Lucas III. 36. Interdum *ratiocinando* attingitur silentii supplementum. Ita non patet ex Dan. III. utrum *Daniel* ad exemplum *Sadrach*, *Mesach* & *Abednego* Idolo Babylonico adorationis honorem, & Regi simul obsequium negaverit, nec ne? Sed tamen ex *rationibus* firmissimis, ex *pietate* Danielis, ex *constantia* ipsam mortem non reformidante, ex *odio Idololatriæ* tot documentis probato colligimus Prophetæ innocentiam. Alios inveniendi silentii *fontes internos* & *externos* supra Cap. I. Partis

hujus II. §. 2. seqq. ostendimus. Non difficile igitur est, in multis silentii exemplis omissa *supplere*. Verùm *causas finesque* omissionis difficilius est expiscari & ostendere. Pertinent enim illa ad *Consilium Dei*, in oraculis sacris loquentis, quod à *posteriori* tantùm patet, nisi in *Scriptura ipsa* vel clarius, vel obscurius indicetur, sive per verba, sive per facta.

CANON VII.

Etsi difficile sit, in multis causas finesque Silentii Divini invenire, non tamen in omnibus id obtinet, multò minùs planè impossibilis videri debet hæc inventio.

TRia sunt genera Silentii Divini, si *causarum* & *finium* indagationem spectes. *Primi* generis est Silentium illud, cujus causas finesque *ipsa Scriptura* sacra detexit. Ita omissæ *Genealogiæ*, *nativitatis*, *mortis*, *successionis Melchisedecianæ* causæ ac fines indicantur Hebr. VII. ut jam ante occupavimus dicere. Vid. WESSELII Professoris nuper & Theologi Lugdunensis in Belgio Dissertatio VII. quæ agit de *Silentio Scripturæ mystico*. *Secundi* generis est Silentium illud, cujus causæ ac fines *studio nostro* inveniri possunt, si Spiritûs sancti auxilio & lumine utamur, si media non negligamus, imprimis diligentem Scripturæ cum Scriptura collationem, contemplationem viarum & operum Dei, & quæ sunt alia. Ita Luc. XVIII. 12. Christus *Publicano* addixit beneficium *justificationis*, *Pharisæo* autem pœnam *damnationis* non dictavit.

Suppleri facilè silentium ipsum potest ex *legibus oppositionis*. Non justificari verè est *damnari*. Causæ hujus silentii quærendæ sunt in *Christi*, morte peccatoris non gaudentis φιλανθρωπία & *misericordiâ*, & in *præcepto* damnationem aliorum prohibente, quod Matth. VII. 1. legitur, per ipsum *exemplum* summi Doctoris confirmando. *Tertii* denique generis Silentium est illud, cujus causas speciales, finesque particulares *nulla hominum cura* enodare valet. Hoc tamen Silentium aptius est augendæ verbi divini *admirationi*, quàm inspirando oraculorum divinorum *contemtui*. Quid enim mirum, *infinitam* Dei Sapientiam excedere limites sapientiæ humanæ non *finitæ* solùm, sed & debilis, mancæ, ac imperfectæ? Si *nullæ* apparerent *causæ* speciales sermonis & silentii quoque in verbo divino, *nullam* putares eidem inesse *sapientiam*, quia nulla patet, si apparerent *omnes* Divinæ Sapientiæ modi ac rationes, *finitam* illam diceres. *Medium* ergo tenet sapientissimus Scripturæ sacræ Auctor.

Canon VIII.

Licet ergo & decet non solùm ipsum Scripturæ Silentium, sed etiam causas finesque investigare, si id fiat legitimo modo, & ad legitimum scopum.

Quæ *nullo studio* humano detegi possunt, rimari, vanum, stolidum & temerarium est facinus. *Scire* velle ea, quæ Deus voluit, te planè *nescire*, peccatum est *Protoplastorum*, qui non tantùm *bona*, sed & *mala* scire desiderâ-

runt. Gen. III. 5. 6. & *Bethsemitarum*, qui curiosis oculis *Arcæ* sacræ *viscera* nulli perlustranda visitârunt. 1. Sam. VI. 19. Hoc est ἐμβατεύειν εἰς ἃ μὴ ἑώρακαμεν, *in ea se ingerere, quæ nemo unquam vidit, nec videre potuit*, Col. II. 8. obicem ponit huic temeritati EUSEBIUS dicens: τοῖς γεγραμμένοις πίστευε, τὰ μὴ γεγραμμένα μὴ ἐννόει, μηδὲ ζήτει, *crede scripto Dei verbo, at non scripta neque cogita, neque desidera.* Verùm alia possunt *adhibitâ industriâ* cognosci, & *eum in finem* omissa apparent ex effectu, ut *studium* nostrum excitent. His decet inhærere, ut pateat divinæ scripturæ *sapientia*, ut effulgeat Auctoris *gloria*, ut augeatur *cognitionis* thesaurus in nobis. Non *frustrà* Deus optimus nobis *vires* ex omissis & tacitis Dei gloriam & nostra commoda promovendi dedit. *Virtus* est *propter actum*, facultates sunt propter usum. Promovere *Dei gloriam Creationis scopus* est, ut *Redemtionis*. Promovere *perfectionem propriam*, & *hominis* & *Christiani* officium est.

CANON IX.

Sed tamen prudens & modesta esse debet, quoad modum Silentii Divini, ejusque causarum indagatio.

PRudenter in his versandum, ut 1) *Analogia Fidei* non solùm *inveniendi* silentium (vid. Can. II.) sed etiam *judicandi causas* silentii norma sit ac regula. Quando E. g. Dan. VIII. 18. Angelus *Gabriel* non memoratur *verbis removisse* adorationem (ut Apoc. XIX. 10. XXII. 9.)

quam tamen *ipso facto*, erecto in pedes Daniele, removere laboravit. Quis audebit dicere, *licitam* & *justam* esse *Angelorum adorationem*, eamque ob causam non prohibitam verbis expressis? Sanè id adversatur *fidei analogiæ*, & clarissimis Legislatoris præceptis. Matth. IV. 10. &c. Deinde 2) prudenter discernenda *vera* à *falsis*, *certa* à *dubiis*, *verosimilia* à *veris*. Removenda falsa, amplectenda vera, tenenda certa, nemini obtrudenda verosimilia. *Modestè* quoque judicandum & agendum, agnoscenda est imperfectio cognitionis humanæ in hac vita, expetendus semper est & sequendus ductus Spiritûs sancti, concedenda aliis est liberè sentiendi & dissentiendi libertas, gratulandum iis, qui longiùs progrediuntur, & interiorem ac penitiorem cognitionem latentis in verbo divino sapientiæ possident.

CANON X.

SCOPUS in indagando Silentio sacro, & rimandis illius causis non sit sublimis sapientiæ propriæ laus, aut curiositatis pabulum, sed Divinæ Sapientiæ, Bonitatis & Veritatis gloria ad salutem nostram cognoscenda, admiranda & imitanda.

QUi *revelati* Verbi Divini *scopus* est, idem quoque *scopus* esse debet *studii* in hoc verbo ponendi, sive revelata meditemur, sive omissa scrutemur. Quibus hic scopus, qui non alius est, quàm *Deus in nostra salute glorificandus*, curæ cordique est, illi tantùm inhærent *objectis*

Deo gloriosis ac *Ecclesiæ salutaribus*, & in iis prudenter, modestè, sobriè ac humiliter versantur. Non laboriosè & anxiè scrutantur, quæ *Caini uxor* aut *Sethi* fuerit? An *vino* usi fuerint Antediluviani? Quod *nomen* fuerit *uxori Lothi?* Quæ *materia calceorum Hebræorum?* Quam *partem legis* divinæ prælectam audiverit Rex *Josias?* Quæ *gesta* fuerint apud *Hannam* Pontificem, quò primùm deductus est optimus Servator? Quæ fuerint *singularia* privatæ Christi his in terris vitæ, ante publici muneris inchoationem? & quæ sunt alia curiositatis stolidæ ac noxiæ indicia atque effecta. Nisi *oculus* fuerit *simplex*, nisi scopus silentii & sermonis divini considerandi sincerus, nisi salutis æternæ desiderium, & divinæ in Christo misericordiæ veneratio ad verbi divini delicias & solatia compellat, *caliginosa* erunt *omnia*, Matth. VI. 20. 21. Ut ex oculi conditione corporis sanitatem judicârunt Medici veteres, ita ex scopo studii Scripturæ sacræ sinceritas & utilitas est judicanda.

CANON XI.

Causæ generales Silentii Scripturæ semper in promtu sunt, & ubique obtinent, etsi causæ speciales lateant.

DEUS, quando non revelat ea, quæ revelare potuisset, si voluisset, *finem* sibi proponit *optimum*, nempe *Majestatis*, *Bonitatis*, *Veritatis* & *Sapientiæ* suæ manifestationem. Convenit *Majestati* omissio rerum leviorum, & gra-

vissimarum revelatio. Convenit *Bonitati* revelatio necessariorum, & omissio eorum, quæ magis oneri sunt, quàm utilitati hominibus. Convenit *Veritati*, promissæ salutis viam ostendere missis aliis. Convenit denique *Sapientiæ*, scopum revelationis semper in oculis ferre, eaque omittere, quæ ad hunc scopum non collineant. De his suprà Cap. I. hujus Partis diximus uberius. Nostrûm itaque est, *Majestatem* venerari, *Bonitatem* amare, *Veritatem* celebrare, *Sapientiam* admirari in ipso Scripturæ silentio, etsi causas *speciales* finesque *particulares* silentii ignores. Quis enim *solem* medio die lucere negabit ideò, quia *radios* nubium umbraculis impeditos non videt? Quis Sapientiæ Divinæ in Verbo Divino lucentis negabit gloriam, quia non omnes in omnibus Scripturæ partibus radios percipit?

CANON XII.

Quoties ipsa Scriptura sacra causas finesque speciales Silentii aperit, in his acquiescendum, neque novæ causæ temerè fingendæ sunt.

QUis enim *sapientior* est DEO sapientissimo, Spiritu sapientiæ Auctore verbi? Quis magis exploratas habet silendi causas, quàm *ille*, qui silet? Sufficit ergo illa silentii causa, quam *ipsa Scriptura*, sive *clarius*, sive *obscurius* indicat. Hoc illi considerent necesse est, qui non contenti *rationibus typicis* silentii de genere, parentibus, morte Melchisedeci ab Apostolo Hebr. VII. allegatis, ad alia planè dilapsi

&

& extra oleas vagantes Melchisedecum non *typum* Christi, sed *ipsum Christum*, ipsum DEI Filium in forma humana apparentem fuisse dicunt. Quando enim Apostolus partes omnes Silentii typici enumerat in compendio, addit Melchisedekum fuisse ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *assimilatum per ipsum silentium Filio DEI*, non ipsum Dei Filium. *Simile* non est *idem*.

CANON XIII.

Interdum Scriptura sacra causas Silentii speciales terminis obscurioribus, vel per allusionem quandam indicat, quæ æquè sufficere debent, ac si apertè & verbis clarissimis expositæ essent.

RAtio hujus Canonis eadem est, quæ præcedentis. Eadem enim est Sapientia Divina, quæ *statim* offertur legentium oculis, & quæ *aliquo studio*, labore majori, meditatione longiore deprehenditur. Exempla quædam selectiora exhibebimus. 1. Quæ *Species Arborum* fuerit עץ החיים Gen. II. 9. ξύλον ζωῆς arbor vitæ Apoc. XXII. 2. non evidenter apparet vel ex Mose, vel ex reliquis Scriptoribus sacris. *Subobscurè* videtur allegari *causa* hujus silentii, Gen. III. 22. *Ne extendat homo manum suam, & sumat porrò ex arbore vitæ, & edat eo fine, ut vivat in æternum.* Ideò enim legitur hujus arboris species, ne posteri Adami in usu hujus arboris postliminiò vitam & salutem, ac utriusque restaurationem, tanquam ex opere operato quærerent. 2. Sic quoque non depingitur aut laudatur *Forma Corporis Christi* externa in

Historia Evangelica. Nulli enim saluti est cognitio Christi secundùm carnem, imò nocumento est, intentum esse admirationi corporis, & negligere imitationem internarum Christi virtutum, posthabere beneficia spiritualia. Hæc causa *tacitè* indicatur Luc. XI. 18. ubi Christus docet, *nil prodesse Corpus Christi, etsi utero gestetur, nisi fides adsit & obedientia.* Eadem quoque causa latet in verbis *Pauli* 2. Cor. V. 16. quibus asserit, *se non curare cognitionem Carnis & Corporis Christi*, sed internam renovationem mentis ad imaginem sapientissimæ & sanctissimæ mentis Jesu Christi, multò minùs se hominum externa mirari decora & privilegia. 3. Addimus Silentium, quo legitur *Conditor Hierosolymæ* urbis, quod ideò non negligendum, quia aliarum urbium longè minorum in sacris monumentis narrantur natales. Causa hujus Silentii videtur indicari Hebr. XI. 10. ubi *Civitatis cœlestis*, quam exspectârunt Patriarchæ, *Conditor ipse Deus* dicitur. Ergo ut terrestris Hierosolymæ non memoratur Auctor humanus, ita cœlestis Conditor non est homo aliquis, sed Deus ipse.

Canon XIV.

Quamvis post causas Silentii in Scriptura monstratas novæ non sint temerè fingendæ, licet tamen vestigiis Scripturæ insistere, & viâ semel monstratâ pergere ad alias inveniendas.

Diximus Canone XII. post causas Silentii in ipsâ Scriptura notatas non esse *temerè fin-*

gendas novas. Aliud autem eſt *fingere*, aliud *quærendo invenire.* Aliud eſt *temerè* id facere, & ſine cauſa, aliud *in via*, quam oſtendit Scriptura, *pergere*, ejusque ductum ſequi, quod nunquam fit temerè. Allegavimus cauſam, quam Scriptura obſcuriùs inſinuat, cùm de Silentio *Arboris Vitæ* diximus. Ducit hæc ad alias per nexum veritatum, quem aſſidua deprehendit meditatio. Omnes indagabimus & enumerabimus Parte ſequente tertiâ, quæ exempla Silentii uberiùs expoſita continebit. Idem obtinet in aliis Silentii exemplis. Quò diutiùs inhærebit animus hujus vel illius Silentii cauſis ſcrutandis, eò plura apparebunt Divinæ Sapientiæ indicia, eò uberiores ſilendi rationes. *An unquam planè invenies ſcrutanda in Deo, an invenies finem & terminum Sapientiæ Divinæ.* Job. XI. 7.

CANON XV.

Si non licet cauſas Silentii ſpeciales allegare certas, licebit quoque afferre probabiles.

Certitudo aliqua in Scripturæ interpretatione obtineri poteſt, non *mathematica*, neque *phyſica*, ſed *fidei*, quæ ſummus eſt gradus certitudinis moralis. Ut enim hæc nititur *teſtimonio fide digno* hominum, ita illa confidit teſtimonio infallibilis *Dei.* Verùm non datur illa certitudo, niſi ipſa Scriptura ſit *evidentiſſima per ſe*, aut *ſui ipſius interpres.* Quando affirmamus cum Paulo *rupem* & *Paſcha* fuiſſe *Chriſti typum* ex 1. Cor. V. 7. & X. 4. abeſt er-

randi periculum. *Certitudo* enim fidei nititur *testimonio Dei* per servos in Scriptura loquentis. In aliis autem dictis *obscurioribus* interpretandis *non* datur hæc certitudo. An ergo hæc *planè* negligenda? An *vanum* est, quod in iis explicandis ponitur studium? Annon potiùs licet & decet interpretationem admittere *probabilem*, ubi certa & indubia haberi non potest? Dices, loca Scripturæ obscuriora non sunt *ad salutem necessaria*. An ergo non sunt *utilia?* Annon *incrementum cognitionis* & utilium poscit studium? Idem obtinet in Silentio Scripturæ rimando, quod in Verbi Divini interpretatione locum habet. Utrumque enim ad sapientiam Verbi Divini intelligendam, & promovenda commoda immortalium animorum pertinet.

Canon XVI.

Eò autem major est probabilitas, quò magis causæ, quas allegamus, scopo Scripturæ conveniunt.

DAntur *Gradus* probabilitatis, quos tradunt Scholæ Philosophorum. Quò *plura* argumenta probabilia afferuntur, eò *altior* est gradus. *Crescunt* quoque gradus *crescente* argumentorum *evidentiâ* & *efficaciâ*. Jam verò in causis silentii probabilibus quis gradus probabilitatis *major* esse potest, quàm si argumenta petantur à *Scripturæ scopo*, si huic respondeant causæ silentii allegatæ? *Evidentissimum* enim & *efficacissimum* est hoc Argumentum, quia, quò *tota* collineat *Scriptura*, eò quoque singulæ *partes* collineare debent. Deinde *plura* quo-

que Argumenta ſi ſuppeditet Divina *Sanctitas*, *Bonitas*, *Veritas* & *Sapientia*, ipſe argumentorum *numerus* auget gradum probabilitatis. Conveniunt autem *omnia*, quæcunque in Scriptura ſacra attentionem noſtram merentur, ergo convenire quoque *ipſum Silentium* debet cum ſcopo Dei in peccatoris ſalute glorificandi, & manifeſtandæ in ſpecie Sanctitatis, Bonitatis, Veritatis & Sapientiæ Divinæ. Exemplo ſit *vita Chriſti privata*, cujus *circumſtantiæ*, exceptis paucis, quæ Matth. II. Marci VI. Luc. II. leguntur, *Silentio* involutæ latent. Si ſtatuas hujus Silentii *ſcopum* eſſe, hinc *ſcandala infirmorum*, illinc *hoſtium ſcommata* declinanda, annon convenit hic finis cum *ſcopo* Scripturæ? Annon ita conſulitur *ſaluti* humanæ? Annon idem convenit cum *Bonitate*, *Veritate* & *Sapientia* Auctoris? *Bonitatis* eſt, parcere *debilibus*. Idem poſcit quoque *Veritas* promiſſionibus inhærens. Eſa. XLII. 3. Matth. XII. 20. XVIII. 6. *Sapientiæ* eſt, hoſtibus anſam & materiem contemtus negare, quantum licet. Quod *Nazarethanis* nocuit, ne *aliis* quoque noceret, providit Deus. Nazarethanos *non potuit* latere vita Chriſti privata, alios *poteſt*, & Deo ita volente *debet* latere. Dubito igitur, an *eodem* regantur *Spiritu*, Apoſtolos & Evangeliſtas vitam Chriſti delineantes qui rexit, illi, qui tam accuratè & operosè ſingularia vitæ Chriſti privatæ exponunt, ac ſi Nazarethæ Cives fuiſſent.

Canon XVII.

Maximè probabiles quoque sunt Silentii causæ, si ex scopo, nexu & circumstantiis historicis deducuntur.

SUprà Cap. I. §. 4. seqq. ostendimus, ex *scopo*, *nexu* & *circumstantiis* non rarò silentium ejusque causas explicari. Nunc observamus, eas causas *maximè* esse *probabiles*, quæ respondent *scopo* loquentis, *nexui* sermonis, & *circumstantiis* historicis. Quæ enim *norma* est explicandæ *Scripturæ* in genere, eadem quoque *norma* est explicandi *Silentii* Scripturæ in specie. Ita non memoratur *ætas vaccæ rufæ*. *Scopus* ultimi hujus sacrificii expiatorii fuit, *Christum depingere*, peccata fidelium expiantem suo sanguine, ut patet ex Hebr. IX. 13. 14. Hinc ducimur ad explicandas non memoratæ ætatis *causas*. Hoc enim *Silentium* fuit *typicum*, quoniam *Christi* quoque in terris degentis, & pro nobis morientis *ætas* siletur. Sic quoque causæ Silentii, quo teguntur apud *Hannam* gesta, ex *circumstantiis* colliguntur. *Hannas* enim *eo anno*, quo Christus mortuus est, non fuit munere *Pontificis M.* functus, ergo Synedrium in ædibus ipsius congregari non potuit.

CANON XVIII.

Si plures ſint Silentii cauſæ, aut coordinatæ illæ ſunt, aut ſubordinatæ.

COordinata ſunt, quorum unum non excludit alterum. *Subordinata*, quorum unum continetur in altero, ut ſpecies in genere, individuum in ſpecie. In cauſis Silentii quoque locum habet tum *Coordinatio*, tum *Subordinatio*. Obtinet quoque regula communis, *coordinata & ſubordinata non pugnare*. Exemplo ſit Silentium *ætatis Chriſti*, quod modò attigimus, cujus *cauſas plures* omni attentione digniſſimas enumerat Ven. MARPERGERUS in Tractatu aureo: Das letzte Sühn = und Sünd = Opfer pag. 264. Obſervat enim neque diem *nativitatis*, neque *mortis* Chriſti accuratè deſignari, ſive in *vaticiniis*, ſive in *Hiſtoria* Evangelica, non determinari in *vaticiniis* diem nativitatis Chriſti, ut *quotidie* flagranti deſiderio Meſſiam *exſpectarent* Veteris Teſtamenti Fideles, non tradi diem nativitatis in *Hiſtoria* Evangelica, ut *quotidie* Servatoris nobis nati ſimus *memores*, & ſimul omnis *ſuperſtitioſa obſervatio annorum, menſium & dierum* fugiatur, non numerari *annos ætatis* Chriſti in terris exactæ, ut ſciamus, Chriſtum *ſemper eſſe eundem*, Chriſti vitam *vix vitam* dici potuiſſe ob perpetuas adverſitates, *veram vitam* Chriſti *priorem* eſſe *mundo* creato, & *æternùm* duraturam, ætatem Chriſti non æquare fideles *ſenſu proprio* quoad durationem vitæ temporalis, ſed *ſenſu improprio* & *ſpirituali*,

Christum *solum* scivisse diem mortis, eamque non revelâsse *Discipulis*, ob fidei *debilitatem*, neque *inimicis*, ob alendum *metum*. Addit Vir Verbi Divini amantissimus: So weise und heilige Ursachen hat GOtt, wo Er etwas in seinem Worte nicht klar und deutlich sagt. Adjicimus exemplum aliud. *Judæ Proditoris* non memoratur ad munus Evangelicum *admissio*. Vocatio enim non facta est, ergo narrari non potuit, ut *Petri*, *Matthæi*, *Philippi*, *Andreæ* & aliorum narratur vocatio ad munus Apostolicum. *Causa* allegari potest multiplex. Quasdam saltem commemorabimus. Hoc Silentium consulit *divino honori*, ne *Judas* videretur *invitatus* ad horrendum illud proditionis crimen. Manifestatur Divina *Christi longanimitas*, quæ *permittit* & *improbos* fungi munere sacro, sed simul *sanctitas*, quæ *non vocat*. Indicatur discrimen inter Dei *permissivam* & *effectivam* voluntatem, inter vocationem *internam* & *externam*. Ostenditur *necessitas internæ* vocationis, sine qua nil prodest externa admissio. Fatemur *bonorum* quorundam Ministrorum non memorari expresse vocationem, ut *Eliæ* ac aliorum. Verùm *unius rei plures possunt esse causæ*. Ex hoc Silentio discimus, Deum *mediis externis* alligatum non esse, & vocationem legitimam & *internam* esse posse, cùm nondum adest *externa*.

CANON XIX.

Absit ergo in causis specialibus Silentii sacri definiendis, ut incauta determinatio, ita quoque iniqua limitatio.

INcautè determinant causas Silentii sacri, qui non satis attendunt ad *scopum* & *nexum* sermonis. In *Parabola* illa, quæ legitur Matth. XVIII. 23. seqq. memoratur *servus Heri debitor*, & alius *servus debitor servi* Hero debentis. Non legitur ille servus, qui Hero debet, simul debere ulli *servorum*, neque legitur servus ille, qui debet τῷ συνδέλῳ servo illi, debitori Heri, debere etiam *Hero*. Si quis putet, ideò Servatorem sapientissimum reticuisse *hujus* servi debita *fratri* solvenda, *illius* servi debita *Hero* solvenda, quia *ille* nihil *fratri*, *hic* nihil *Hero* debuit, magnopere errabit, & incautè rationes silentii determinabit. Dantur quidem duo debitorum genera. Alia Deo, alia proximo debentur: sed tamen nemo unquam hominum fuit, qui ita *Deo* debuit, ut nihil deberet proximo, vel ita *proximo* debuit, ut nihil deberet Deo. Quis peccare potest in fratrem, ut non simul peccet in *Deum*, qui præcepit amorem fraternum, qui amat liberos suos, eorumque injurias suas esse judicat. *Alias* causas Silentii poscit *Scopus* Parabolæ, qui est fraternæ *reconciliationis* urgenda necessitas, si apud Deum exspectare velis remissionem peccatorum. Hâc impetratâ *nihil* ampliùs *debere* reputamur. Ideò *non memoratur* debitum, quia *remissum* est. Illi

ſervo, cui remiſſa ſunt debita, quæ *Hero* debebat, ſimul remiſſa ſunt debita, quæ *fratri* debebat. Et illi ſervo, qui feriò dolet & deprecatur debita, quæ *fratri* debebat, ſimul remiſſa ſunt debita, quæ *Hero* debebat. Non poteſt animus *Deo* reconciliatus per Filii ſanguinem irreconciliabilis eſſe erga *fratrem*, ſi modò adſit pœnitentiæ & fidei ſinceritas, quæ aberat in ſervo priore, imagine Phariſæorum. Non poteſt animus verè eſſe reconciliabilis erga *fratrem*, niſi *divinæ* gratiæ juſtificantis, & ſimul ſanctificantis efficaciam expertus fuerit. Ergo non debet amplius *proximo*, cui *Deus* remiſit debita, quia perfecta eſt juſtificatio. Nec debet amplius *Deo*, qui reconciliatur ſincerè *proximo*, quia reconciliatio ſincera ſignum eſt gratiæ juſtificantis ſimul & renovantis. Ut determinatio incauta, ita quoque *limitatio iniqua* eſt cavenda, ne putemus, eas *ſolas* Silentii cauſas eſſe, quas noſtra invenit ſagacitas, neque dari alias. Iniqua eſt hæc limitatio in *Deum*, quia Divinæ Sapientiæ figit terminos, iniqua in *homines*, quibus Deus conceſſit dona noſtris æqualia, & vires fortè noſtris majores. Dantur quoque in *nobis ipſis* incrementa cognitionis, ut cras alia & ſaniora inveniamus, ac hodie. Cavendum igitur, ne etiam iniqui ſimus in *nos ipſos*. Silentii Moſaici, quo *Angelorum* texit *creationem*, ſuprà datâ occaſione *duplicem* allegavimus *cauſam*. Addi poſſunt *aliæ*. Moſes hunc *ſcopum* ſibi præcipuè præfixit, ut *hominum* primam *originem*, & ſtatum primævum, & *fontem corruptionis* humanæ deſcriberet, ut doceret nos,

unde ſimus, quales fuerimus, quales nunc ſimus, quomodo à primæva integritate defecerimus, & quâ ratione ad priſtinam felicitatem redituri ſimus? Ergo ad *ſcopum* Hiſtoriæ Moſaicæ propriè non referenda eſt *Angelorum* creatio. Deinde creatio Angelorum jam continetur in *creatione cœli.* Cœlum enim *perfectum* ſtatim cum incolis omnibus creatum fuiſſe patet, quia de *terræ* ſucceſſiva formatione multa tradit Moſes in ſequentibus, de *cæli* conſummatione nihil. Et quod de *cælo* in genere dicitur Cap. I. id in ſpecie quoque extenditur ad *exercitum cælorum*, hoc eſt, Angelos Cap. II.

CANON XX.

Indagatio ergo cauſarum Silentii ſacri perpetuum eſt augendæ cognitionis & incitamentum & medium.

IN Scientia *Phyſica* rerum naturalium *cauſas* & *fines* cognoſcere datur. Qui *hæc* nôrunt, *Phyſicam* nôſſe creduntur. Qui autem ulteriùs progrediuntur, qui *quæ deſunt* in ſyſtemate mundi, hoc ipſo, dum deſunt, *perfectionem* mundi augere nôrunt & probant, dum *cauſas defectûs* exponunt, ſupra vulgus illi ſapere creduntur. Idem obtinet in cognitione verbi divini. Quæ ad ſalutem neceſſaria *expreſſis* & *evidentibus* verbis in ſacra Scriptura traduntur, cognitu non ſunt difficilia. *Alia* autem, quæ expreſſis verbis tradita non leguntur in ſcriptis ſacris, quæ difficiliora ſunt inventu & cognitu, ſtudium, curam, attentionem, meditationem,

exercitium acuunt, ut inveniantur & cognoſcantur, & eadem quoque cognita & inventa creſcentis cognitionis clariſſima ſunt indicia. Ita per ſtudium ardentius, per preces ferventiores, auxilium Spiritûs ſancti expoſcentes, interior datur ad Sapientiæ Divinæ adyta acceſſus. Hinc ſincerius & ſublimius naſcitur gaudium, quò profundior eſt myſteriorum & oraculorum divinorum ſcientia. Uniones in fundo maris, metalla in cavernis montium quæruntur & inveniuntur. In ima oceani abyſſo dulcem eſſe aquam, ferunt.

Canon XXI.

Non ſolùm Silentium voluntarium, ſed & neceſſarium ſæpè attentionem noſtram meretur, & utilitatem parit, ſive ſit dogmaticum, ſive morale, ſive hiſtoricum.

NOſtrûm quoque eſt ſcire, quid in rebus magni momenti dicere non potuerit Scriptura, & cur non potuerit? Quodnam ſit Silentium neceſſarium, & quæ cauſa, utrum Divina Veritas, an Sanctitas? utrum ſufficere debeat cauſa *generalis*, nempe Divina Sapientia, an verò accedat cauſa aliqua ſpecialis noſtro ſtudio expiſcanda? Quæ erronea ſunt, dici non potuerunt per Dei veritatem, neque noxia per Dei bonitatem, neque indecora per Dei ſanctitatem. Colligimus ergo non rarò ex ipſo Silentio, quænam ſint erronea, noxia, indecora, falſa. Ad has cauſas generales interdum accedunt *ſpeciales*, cùm ex unius propoſitionis

falſitate colligitur alterius veritas vi oppoſitionis. Ita Hebr. I. 13. obſervatur Silentium neceſſarium. *Ad quem Angelorum dixit DEUS: Sede ad dextram meam?* Non dixit hæc Deus, nec dicere potuit. Erronea in ſacris literis tradere non potuit Dei Veritas. Hæc cauſa eſt *generalis*. Accedit autem *ſpecialis*, nempe prærogativa filii. Non poſſunt conſidere Angeli ad dextram Patris, quia creaturæ proximos aut æquales Creatori honores ferre non poſſunt. Poteſt autem Filius Dei, ut verus Deus. Probatur ergo veritas divinitatis Chriſti ex hoc Silentio neceſſario, in quo tacita negatur divinitas Angelorum. Hoc Silentium *dogmaticum* eſt, quo probatur dogma SS. Trinitatis & Divinitatis Filii. Addimus exemplum Silentii neceſſarii *moralis*. In vocatione *Eliſæi* Prophetæ non legitur facta promiſſio mercedis, aut lucri, aut honoris. Non potuit id fieri per Divinam Sanctitatem, quâ odit ſervos mercenarios. Huic cauſæ *generali* addi poteſt *ſpecialis*, nempe commendanda ſervis Jeſu Chriſti abnegatio ſui & mundi, ut ſolam Domini gloriam in animarum immortalium ſalute adorandam ſectentur. Denique non meminit Hiſtoria Evangelica ullius *partûs*, quem edidit B. *Virgo* poſt natum Servatorem. Silentium hoc meritò neceſſarium dicimus. Non potuerunt Evangeliſtæ commemorare rem, quæ nec facta unquam, nec fieri potuit. Cauſæ *generales* ſunt Divina Sanctitas & Sapientia, *ſpeciales* & Jeſu Chriſti ſumma Dignitas, & Matris Pietas, & Spiritûs ſancti conſtans gratia. Nec obſtat no-

men πρωτοτόκε, quod Christo datur, Luc. II. 7. quod respicit legem cærimonialem primogenitos Deo sacrantem, & in Christo κατ' ἐξοχὴν implendam. Multò minùs obstat fratrum ac sororum titulus, qui ex Hebræorum more tribuitur Christi cognatis & agnatis, & laxiore sensu accipiendus est, ut Lothus Abrahami frater vocatur.

SECTIO II.

REGULAS SPECIALES DEFINIENS.

CANON I.

Ut in genere in omni Scripturæ Silentio, ita in specie in Silentio Dogmatico sufficere debent causæ generales, nisi res ipsa de specialibus cogitare jubeat.

SApientia Divina, quæ omnem hominum scientiam infinitis vincit parasangis, optimè novit, quæ dogmata ad salutem necessaria sint scitu, quæ cognitu utilia, quæ non. Sufficit hæc causa *generalis*, humiliter adoranda Divinæ Sapientiæ sublimitas, si aliæ & *specialiores* causæ ignorentur; si vero dentur causæ *speciales*, hæ ipsæ erunt totidem Sapientiæ Divinæ argumenta. Ita sufficere possunt causæ *generales*, si scire velis, cur Deus vitæ futuræ *felicitatem* accuratiùs & secundùm omnes partes in verbo gratiæ describi noluerit. Sufficit Divina Sapientia, quæ neque loquitur, neque silet sine causa. Sufficit Bonitas Divina, quæ parcit de-

bilitati noſtræ, quæ inepta eſt, ad ſpiritualia & cœleſtia penitus, & ut decet, aſſequenda. Alia tamen & *ſpecialiora* ſubminiſtrabit meditatio. Silentium enim hoc, quo teguntur circumſtantiæ ſpeciales futurae *beatitudinis*, 1) explorat & exercet *fidem* noſtram. Ut *fidem Abrahami* exploravit praeceptum divinum eundi in *terram peregrinam* & *ignotam* Hebr. XI. 8. ita fidei eſt, credere Deo ſpem vocationis cœleſtis in verbo facienti, etſi eam, ad quam vocamur, gloriam non planè intelligamus. Idem 2) excitat ad *pietatem* praeceptis Evangelicis obedientem. Si enim ignota eſt omnis vitae aeternae conditio, ignota quoque eſt via ad eandem. Deus ſolus, qui finem novit, & media habet explorata. Acquieſcendum ergo in praeceptis Dei, viam ad beata & aeterna gaudia monſtrantibus. Sequendus eſt ductus Spiritûs ſancti in via per naturam ignota ad gloriam ne quidem per gratiae lumen penitus cognoſcendam. Idem denique 3) incendit *deſiderium* promiſſae beatitudinis. Solemus enim per naturam ſuſpicere & anhelare ignota, ſpretis & poſthabitis iis, quae familiariter nota ſunt. Difficilia, quae pulchra. Quò cognitu difficiliora ſunt bona vitae futurae, eò pulchriora videri debent. Quò pretioſiores ſunt gazae, eò magis illas abſcondimus ab oculis hominum. Pretioſiſſima igitur habenda ſunt, quae Deus inſtar theſauri recondidit. *O Deus! quàm magnum & multum eſt bonum illud, quod reſervâſti in theſauris tuis abſconditum pro illis qui Te timent?* Pſal. XXXI. 20. Vid. SHERLOCKIUS de Morte Fidelium Parte I. Cap. III.

CANON II.

Quò majus videtur momentum illius dogmatis, quod reticetur, eò major in inveniendis causis specialibus ponenda est opera.

IMmortalitas *Animae* humanae, *Praemia* ac *Poenae* vitae futurae sine omni dubio sunt maximi momenti dogmata. *Moses* tamen haec ipsa expressis verbis non tradit. Mirum hoc videri debet. Ex illis enim pendet Religionis verae dignitas & veritas. Necesse igitur est, huic Silentio subesse causas gravissimas. *Duas* praecipuas (saltem Auctori ita videtur) allegavit *Warburtonus* in Dissertatione, quâ ostenditur illud, quo Theologia cohaeret cum Ethica & Politica, vinculum. *Una* est distinctio Legis & Evangelii. Hinc Evangelii apparet necessitas, si legis in tradendis rebus gravissimis tanta est obscuritas & insufficientia. *Altera* est Divinitas Religionis Mosaicae hoc ipso Silentio probanda & confirmanda. Respublicae enim humanae stare non possunt sine praemiis & poenis, nisi illa ad virtutem excitent, hae verò à sceleribus absterreant. Mosaica verò respublica sine aperta praemiorum aeternorum promissione, & poenarum aeternarum comminatione stabilis tamen fuit & firma. Ergo altior est oeconomiae Mosaicae origo, non humana illa fuit, sed divina, à Deo ipso instituta, & divino robore conservata. Vid. Bibliotheca Britannica Tom. XIX. Parte II. pag. 316. *Prior* ratio, quam Warburtonus allegat, dubio ca-

ret, ſi rectè intelligatur. Ipſe enim Moſes meliorem promiſit œconomiam per Meſſiam inſtituendam, in qua plus lucis & ſolatii, ac in œconomia Moſaica. Nec parùm novae & melioris œconomiae auget praeſtantiam apertiſſima & clariſſima immortalitatis animorum & praemiorum aeternorum inculcatio. Sed tamen vix auderem affirmare Rempublicam Judaicam ſub Veteri Teſtamento fuiſſe ſine ſpe praemiorum aeternorum. Nonne *Abrahamus* Pater Hebraeorum diu ante Moſen vivens exſpectavit fundamentis immotis nixam civitatem, cujus ipſe Deus eſt Conditor? Annon eidem fidei innutriti fuerunt *poſteri*, *Moſes* & omnes ſine diſcrimine Veteris Teſtamenti Fideles? Quod autem *obſcuriùs* haec traduntur à Moſe, id *umbris* caerimoniarum tribuendum eſt, quibus ceu velo quodam obtectae fuerunt promiſſiones vitae melioris. Ita Terra Cananaea typus & pignus fuit habitaculi cœleſtis, ita vita diuturna in hac terra pignus fuit vitæ æternæ in cœlis exigendæ, ita gaudia feſtiva typi fuerunt gaudiorum cœleſtium. Non quæſiverunt, nec invenerunt nucleum cortice cærimoniarum tectum plerique Judæorum, ſed in cortice lambendo & mirando occupati fuerunt unicè. Quæſiverunt tamen & invenerunt nucleum promiſſionum ſpiritualium & cœleſtium alii, quamvis pauciſſimi. Neque ullum eſt dubium, quin hæc Sacerdotum cura, hic labor fuerit, ut ſcopum cærimoniarum & typorum ſubliniorem populo inſtillarent. Non mirum tamen, cognitionem rerum cœleſtium fuiſſe ob-

ſcuriorem in œconomia typica, quàm nunc eſt in œconomia Novi Teſtamenti, ubi cedentibus diu & longè umbris radiat Evangelii lux & puriſſima & clariſſima.

Canon II.

Momentum Dogmatis illius, quod reticetur (vel reticeri videtur) *ex uſu noſtro metiendum eſt.*

SCripturam ſacram Deus revelavit ad *uſum hominum.* Quod igitur magis vel minùs ad uſum humanum facere poſſe experimur, illius vel majus, vel minus pondus & momentum eſſe ſtatuimus. *Lapſus Angelorum*, ut exemplo rem illuſtremus, res eſt magni momenti, ex quo creaturarum nobiliſſimarum æterna & ſumma pendet infelicitas. Moſen tamen neque cauſam, neque locum, neque tempus, neque ullam aliam hujus lapsûs circumſtantiam tradere apertum eſt, niſi fortè ipſa hominum ſeductio primum Satanæ peccatum, & prima mali origo fuit. Neque opus eſt, ut anxiè in lapsûs diabolici rationem & modum inquiramus, cùm *Angelorum* ſcire res ad ſalutem noſtram propriè & proximè non pertineat. Satis eſt ſcire Angelorum apoſtaſiam, & ſeveriſſimam defectionis pœnam, ut eò major ſit hominum erga Deum non Angelorum, ſed hominum Redemtorem *gratitudo*, eò infenſius adversùs *Apoſtaſiam* odium. Non opus eſt, ut *circumſtantias* lapsûs Angelici ſilentio tectas operosè ſcrutemur. Nec Silentii *cauſas* magno cum labore indagare neceſſe eſt. Patent *quædam.* Sa-

tanas eſt *Princeps tenebrarum*, cujus opera omnia ſunt opera tenebrarum. In tenebris ergo latent meritò tenebrarum opera luce indigna. Neque Deus revelare voluit, quodnam fuerit *primum* Satanæ peccatum, quia *cohærent* omnia. Ex fœcundiſſimo fonte fœdiſſimæ *φιλαυτίας* manat & ſuperbia, & invidia, & mendacium, & homicidium. Deinde ſi conſtaret primum Diaboli ſcelus, homines ab *uno* hoc crimine ſibi caverent, ſecuri reliquorum, quia hoc unum veniæ ſpem non habere putarent. Sufficit igitur, ſi conſtet ex monumentis ſacris, Angelorum quoſdam peccâſſe, non conſtantes in prima veritate ſeu integritate, relinquentes originem, Deum ipſum, primigeniam felicitatem, principatum ſuum ac dignitatem, deſerentes domicilium ſuum, cœlum, divinæ gloriæ theatrum pulcherrimum, Deum juſtiſſimum non peperciſſe peccantibus, ipſisque denegâſſe Redemtorem, quem hominibus dedit. 2. Petr. II. 4. Joh. VIII. 44. Jud. ℣. 6. Hebr. II. 16. Sufficiunt hæc ad Divinæ Juſtitiæ, Sanctitatis & Bonitatis gloriam manifeſtandam, & officia gratitudinis, humilitatis & vigilantiæ hominibus inculcanda.

Canon IV.

Juvat & prodest in Silentii dogmatici causis detegendis, si inquiramus, utrum dogmata constituant objectum Silentii, an verò finem illius & scopum?

DOgma constituit *Objectum* Silentii, cùm siletur aliquid, quod ad fidem spectat. Constituit autem *scopum*, quando ex ipso Silentio dogma elicitur. Sæpè *utrumque* cohæret. Scriptura non designat *locum inferni*. *Objectum* ergo Silentii est locus cruciatuum infernalium. *Causæ* hujus Silentii sunt hinc Divina *Misericordia*, quæ non delectatur morte peccatoris, sed pœnitentiâ & vitâ illius, & hoc ipsum testaturus de Cœlo multis, de Inferno paucis loquitur in sacris scriptis, illinc Divina *Justitia*, quæ adeò abominatur peccatum, ut ipso silentio detestationem indicet. Præterea Silentii quoque hujus *scopus* ac finis est dogma, sc. *animas* non esse in *loco*, nec occupare *spatium*, *corpora* autem hominum ante diem judicii ultimum non tradi cruciatibus infernalibus, *utique* esse infernum, si anima divinæ iræ molem sentiat, & divini amoris radiis privetur, si sensus mali *ululatum*, si privatio boni *stridorem dentium* invidiæ invicem referat, si *tenebræ* adsint luce gaudii vacuæ, & terroris plenissimæ.

CANON V.

Propriè tamen solum objectum Silentio dogmatico nomen imponit, quia & aliæ Silentii species, ut Historicum aut Typicum, ad dogma aliquod, velut Silentii scopum, collineare possunt.

FInis particularis Silentii *Historici* interdum est *dogmatis* alicujus inculcatio & confirmatio. Ita Matth. II. 13. non numerantur *anni*, vel *menses*, vel *dies* commorationis Christi in Ægypto. *Scopus* hujus Silentii est, ducere nos ad Christi *Divinitatem*, quæ *ubique præsens* est & *æterna*. Parùm ergo refert, quo in loco, & quamdiu præsens fuerit his in terris degens humanitas, si modò veritas vaticiniorum impleta appareat. Similiter & Silentii Typici finis particularis potest esse *dogmaticus*. Ita in *Melchisedeco* typo Christi Silentium parentum &c. fines habuit *dogmaticos*, ut Christi *divinitas*, *æternitas*, & *sufficientia* delinearetur. Non tamen ideò dices, Silentium Historicum aut Typicum mutari in *Dogmaticum*, quia finis est dogmaticus.

CANON VI.

Quoties dogmatis alicujus. veritas & certitudo in sacra Scriptura apertè traditur, modus autem non describitur, toties non alia causa est specialis Silentii, quàm debilitas intellectûs humani.

CUr enim Deus, qui rem apertè & accuratè tradit, qui rem cognitu necessariam judicavit, qui modum rei optimè cognitum habet,

non revelaret *modum*, si eum caperet humanæ *debilitatis* mensura? Annon potest Deus sapientissimus? Annon vult optimus? Annon è re hominum est, rerum utilissimarum habere conceptum adæquatum? Sola ergo impotentia humana causa est hujus Silentii, quando Dogma SS. *Trinitatis* clarissimè docetur in sacris paginis, sed altum de mundo est Silentium, qui neque verbis in hominum vita usitatis exprimi, quia nihil datur in rebus humanis simile aut secundum, neque angustis intellectûs humani limitibus includi potest.

Canon VII.

In Silentio Morali semper adsunt causæ ac fines speciales, etsi non semper & ubique patent.

PRæcepta *moralia* complectuntur *normam* vitæ & actionum nostrarum. Ergo in his indubitata semper *utilitas* continetur. Dogmata quædam sine damno nesciri possunt in cœlo demum discenda. Dogmata non fundamentalia sine salutis dispendio ignorantur. Verùm officia Deo, nobis ipsis, & fratri debita non possunt omitti & negligi sine damno. Subesse ergo semper causas speciales oportet Silentio Morali, ob quas Deus sapientissimus ea reticenda duxit, quæ ad vitam rectè instituendam faciunt.

CANON VIII.

Utile igitur, imò & necessarium est, omnis Silentii Moralis causas speciales finesque diligenter & pro viribus rusparì.

UT ipsum *Silentium Morale*, ita quoque ejus *causas* finesque detegere, utile est. Nam detegere Silentium morale, est ea discere, quæ ad *officium nostrum* pertinent. Discere ea, quæ ad officium nostrum spectant, est viam ad *majorem perfectionem* cognoscere. Quis autem negabit, *utilem* esse perfectionis majoris possessionem? Jam si necessaria sunt officia, si necessaria quoque officiorum cognitio, quia præstari incognita nequeunt, sequitur, *causas* quoque Silentii esse detegendas. Quid enim aliud est detegere *causas* Silentii Moralis, quàm officiorum non clarè expressorum discere *causas*, *modos*, *fines*, *effecta*, *adjuncta* &c. *Practici* Silentii causæ non aliæ esse possunt, quàm *practicæ*, sive *mediatè*, sive *immediatè* ad praxin pietatis & virtutis pertinentes. Juvat exemplis quibusdam *utilitatem* illam insignem, quæ ex *Silentii Moralis causis* ac finibus manat, ostendere, & aliorum animos ad hoc meditationis sacræ genus accendere.

1. Deus in *Veteri Testamento* fructus anni septimi, agri angulum, manipulum residuum, & spicilegium *pauperum* usui addixit. In *Novo* autem *Testamento* non determinavit, *quæ* facultatum portio ad pauperum levamen sit conferenda? *Causæ* sunt variæ:

α. Quemadmodum Fidelibus Novi Teſtamenti non promiſſa eſt *terræ* & bonorum terreſtrium hæreditas, ita quoque pauperibus certa hujus hæreditatis pars aſſignari haud potuit. Spiritualia bona conſtituunt novi Fœderis haereditatem.

β. *Libertas* Novi Teſtamenti non patitur ſeveram donorum charitatis exactionem, aut ſervilem præſtationem. Populus ſpontaneus, Iſraël Dei, liberrimo pectoris generoſi impetu, quem ſpiritus efficit generoſus, fertur ad amandum fratrem, ejusque neceſſitati ſuccurrendum.

γ. Denique, quò *major* & *uberior* eſt DEI *gratia* in Novo Teſtamento, eò abundantior poſcitur *gratitudinis* per mutuam charitatem demonſtratio. Nec in caſu neceſſitatis ſufficiunt ipſae *decimæ*, ſed *omnium* facultatum poſcitur erogatio. Matth. XIX. 21. Act. V. 2. 1. Cor. XIII. 3.

2. *Tempus Convivii Paſchalis* accuratè definitur Exod. XII. Quo autem tempore, & quoties celebranda ſit S. *Cœna*, quae ſucceſſit Paſchati, determinare non placuit Divinae Sapientiae. *Cauſas* finesque allegamus ſequentes:

α. Non eſt S. *Cœnæ* ritus tam *operoſus*, oneroſus & ſumtuoſus, ut *ſæpiùs* repeti eum vetet *moleſtia*.

β. Nec tamen tam *facilis* eſt legitima ſacrae Cœnae celebratio, ut in *noſtro arbitrio* poſita ſit certi & ſtati temporis obſervatio. Ad externos ritus apta ſunt quaelibet tempora. Sed ad

rectum ſacrae Cœnae uſum requiritur, praeter ritus externos, imprimis recta animi diſpoſitio, quae non à noſtris viribus, ſed à divina pendet gratia, nulli tempori alliganda. Beati, qui ſingulis momentis ad hos fidei & pietatis actus parati ſunt. Facilè igitur patet diſcrimen Paſchatis & S. Cœnae. Illud *certo tempori* affixum fuit, quia *externus* fuit typus, ritus externus. Mactari debuit Agnus Paſchalis in Templo Hieroſolymitano, quò confluere ex omnibus Canaanis oris *moleſtum* ſatis & *ſumtuoſum* fuit, etſi plus vice ſimplice Paſchalis Caerimonia obſervari non debuit. *Contraria* omnia obtinent in Cœna Domini. *Simplicitas* patitur *frequentem* uſum, requiſita *interna* non patiuntur *temporis limitationem*.

3. Eadem poteſt eſſe ratio temporis in *Baptiſmo*, ejusque adminiſtratione, non definiti. *Adultorum* enim ex Judæis & gentibus ad Chriſtum vocandorum viva requiritur *fides*, aſſenſus fiducialis, & ſincera fœderis gratiæ adſtipulatio, quæ ſunt *Spiritûs ſancti* illuminantis, renovantis & ſanctificantis dona non adſtringenda *certis* temporibus. Nec in ipſis *infantibus* adeò *reſtrictum* poteſt eſſe tempus Baptiſmi, ut olim Circumciſionis fuit ob *libertatem* Novi Teſtamenti.

4. Eadem *libertas* Novi Fœderis cauſa eſt non expreſſis verbis inſtitutorum *Templorum*. Abeſt enim *ſanctitas legalis* à Templis, quæ aderat Tabernaculo & Templo Veteris Teſtamenti. *Tota Terra* Domini eſt. Tota Eccleſia Templum Dei eſt. *Ubique locorum* attolluntur

F 5

manus ſanctæ, ad Deum adorandum. Non pertinent ad *eſſentiam* Religionis Templa, quæ ceſſant in perſecutionis tempore, manente tamen cultu interno & eſſentiali, manente etiam Templo ſpirituali.

CANON IX.

Si primo ſtatim intuitu per ſe pateat Silentium morale, ſeu id, quod in doctrina morali reticetur, contenti eſſe poſſumus cauſis generalibus.

DEUS enim *ſapientiſſimus* nihil aut dicit, aut facit *ſine cauſa*. Quoties ergo officium morale facilè *omnibus* patet, etſi verbis expreſſis non præcipiatur, quoties in *alio officio* jam continetur, cum quo vinculo nativo cohæret, quoties per *conſequentiam* legitimam facilè deducitur ex officio ſcripto, toties Divina Sapientia, quæ paucis multa dicit, & ſupervacanea omittit, non loquitur, ſed tacet. In ejuſmodi Silentio non opus eſt aliam Silentii *cauſam* quærere, quàm *generalem*, nempe Divinam *Sapientiam*, *Majeſtatem* & *Bonitatem*. Exemplo ſint *Præcepta Decalogi* pleraque, in quibus, dum inculcantur officia *negativa*, ſimul tacitè continentur *affirmativa*, & contrà. Silentur igitur officia moralia, & unius diei cognitio, & cultus internus ac externus, legitimus Divini Nominis uſus, officium amoris, caſtitatis, veracitatis. Sed tamen omnibus facilè patet, hæc comprehendi in præceptis negativis, non poſſe relinqui vitia, ut non ſimul vitiorum locum occupent virtutes vitiis oppoſitæ, non poſſe

tenebras fugere, ut non ſimul ſuccedat lux fugatis umbris. Superfluum fuiſſet, *utrumque* oppoſitorum nominare, cùm ideò quædam ſaltem præcepta ſint *affirmativa*, ut diſcamus, in *negativis* contineri etiam affirmativa, & contrà.

CANON X.

Præter cauſas illas generales Silentii Moralis dantur & aliæ, quæ quidem ſpecialiores ſunt, ſed tamen facilè omnium oculis animisque ſeſe offerunt.

EJusſmodi cauſæ *ſpecialiores*, ſed inventu *faciles* ſunt ex *ſtatu* hominum, cui Deus modum præcipiendi officia pro ſapientia ſua accommodat, derivandæ. Status generis humani in genere *corruptus* eſt. Ideò pleræque leges decalogicæ vetant *malum*, quia hoc in corruptis mortalibus *prius* eſt bono, & quia præcepta *negativa* obligant *omnes* & *ubique* & *ſemper*, unde omnis anſa effugiendi iis eripitur, qui ſub vario prætextu, & per varias artes obſequio liberari cupiunt. Ideò in Præcepto quinto ſilentur *officia parentum* in liberos, non ſolùm, quia *parentes* procliviores ſunt ad amorem liberorum, quàm *liberi* ad amorem parentum, & amor deſcendit magis, quàm aſcendit, ſed etiam quia debetur & *durioribus parentibus* liberorum amor, ut durioribus Heris debetur obſequium ſervorum. 1. Petr. II. 8. Silentium ergo eripit *liberis* omnem anſam, parentum duritiem prætexendi inobedientiæ ſuæ. *Parentibus* contrà ita inhæret à natura liberorum

amor, ad propagandum genus humanum necessarius, communis quoque ipsis animalibus, ut nullum sit periculum metuendum ex silentio officii paterni aut materni. In specie *status Populi Judaici* sub Veteri Fœdere causa fuit, cur *Polygamia* & *Concubinatus* expressâ lege prohibita non sint. Potuit ex *matrimonii* prima *institutione* satis patere Dei voluntas, Polygamiæ & Concubinatui non favens, quod expressis verbis testatur cœlestis voluntatis divinæ Interpres verè infallibilis. Matth. V. 32. XIX. 7. Silentium ergo divinum non fuit *Permissio* Polygamiæ & Concubinatûs *Ethica*, sed *Physica*, non approbatio, sed tolerantia & patientia, quam postulabat populi indoles, & Divina Sapientia, justitiæ Moderatrix.

Canon XI.

Si Historicum Silentium neque perfectum sit, neque universale, & facile inventu est illud, quod siletur, & causis specialibus Silentii carere licet.

Ex iis, quæ Capite II. Partis I. diximus de Distinctione Silentii Scripturæ; constat, quid per Silentium *Perfectum* & *Universale* intelligendum sit. *Perfectum* est, cùm verè silet Scriptura, ut neque κατὰ ῥητὸν, neque κατὰ δύναμιν in illa inveniatur, quod sileri dicimus. Opponitur hoc Silentium *Apparenti*, quod *Imperfectum* diximus, cùm videtur silere, & non dicere secundùm literam Scriptura, quod tamen quoad vim dicit. *Universale* est Silentium, cùm omnes Scriptores tacent. Opponi-

tur hoc *Particulari*, cùm *unus* vel *plures* tacent, loquentibus reliquis. Per ſe igitur patet, facilè inveniri illud, quod *quoad literam* ſileri videtur, *re ipsâ* verò dicitur, faciliùs adhuc reperiri, quod, reliquis tacentibus, ab *uno* Scriptorum ſacrorum perſpicuè traditur. Ita non dicitur totidem verbis, *Sacerdotes* Veteris Teſtamenti *nudis pedibus* inceſſiſſe in Tabernaculo & Templo. Colligitur tamen idem ex recenſione *habitûs ſacerdotalis*, ubi *calceorum* nulla fit mentio. Exod. XXVIII. 4. Ita nihil de *Petri lapſu* Johannis Evangelica habet Hiſtoria. Facillimè autem hæc ſupplentur ex *reliquorum* Evangeliſtarum accurata narratione. Hujuſmodi Silentium vix aliam agnoſcit cauſam, quàm *Sapientiam* Divinam, quæ ſuperfluum duxit, ea narrare, quæ aliunde conſtabant, aut attentum Lectorem non ad verba tantùm, ſed & res attendentem fugere non poterant. Exſtat E. g. Vaticinium Jeſaiæ de *Cyro*, Reſtauratore Populi Judaici Cap. XLIV. 28. & XLV. 1. quod vaticinium eò magis notari meretur, quod Auctor liberationis non ſolùm promiſſus, ſed & annis CL. ante nativitatem *nominatus* fuit. An *Cyrus* hoc Jeſaiæ vaticinium vel *legerit*, vel *audiverit*, & hoc pacto ad reſtituendam Rempublicam Judaicam excitatus fuerit, non conſtat ex Esdræ hiſtoria. Colligimus tamen hæc ita contigiſſe ex *mandato Cyri* Regis, in quo Jeſaiæ allegatur prædictio. Esdr. I. 2. Quis non videt, contentum eſſe poſſe hâc Silentii causâ ſtudioſum ſacrorum Annalium Lectorem? Si tamen aliæ & *ſpecialiores* Silentii imperfecti vel

ſpecialis ſeſe offerant ſpontè, has quoque negligendas non eſſe, per ſe patet. Ita cùm non memoratur verbis expreſſis *fides Adami*, & cum fide connexa *ſalus*, neque *pœnitentia* & *ſalus Salomonis*, quamvis *illius* fides ex nomine *Sethi* referente promiſſionem Gen. IV. 25. Coll. III. 15. *hujus* verò pœnitentia ex *Eccleſiaſte* conjici facilè poſſit, cauſa *ſpecialis* ſeu finis *particularis* eſſe videtur removenda omnis occaſio *ſecuritatis* & *procraſtinationis* in officio pœnitentiæ & fidei.

Canon XII.

Idem quoque judicandum de cauſis omiſſarum circumſtantiarum hiſtoricarum, quarum cognitio parùm ad utilitatem noſtram facit.

QUoties hiſtoria aliqua noſtris ſerviens commodis *breviſſimè* proponitur, miſſis circumſtantiis minùs utilibus, toties Divina *Sapientia* & *Bonitas* agnoſcenda & deprædicanda eſt, quæ hinc magnâ *librorum mole* gravare, illinc rerum *utilium* cognitione privare nos noluit. Ita Gen. XI. 31. 32. enumerantur *filii Tharæ*, ſed quis illorum *primogenitus* fuerit, non additur. Carere poſſumus hâc notitiâ ſine ullo ſalutis diſpendio. Si è re noſtra fuiſſet id ſcire, cur nos celâſſet nomen filii *Tharæ* primogeniti, qui aperuit filium *Noachi* primogenitum? Gen. X. 21. Si ſcire velis, quam ergo ob cauſam *Japhetus* expreſſis verbis *Noachi primogenitus* dicatur, cogita, Deum *liberrimum* eſſe, nec ſuam gratiam alligare primogenituræ.

In filiis Tharæ abesse videtur hæc ratio, hinc silentium servatur.

CANON XIII.

Sæpè accurata contemplatio circumstantiarum, quæ commemorantur, ducit ad causas omissarum feliciter reperiendas.

Circumstantiæ, quæ *commemorantur*, testantur de divinarum viarum Sapientia, Justitia & Bonitate. Ex his de *reliquis* judicari poterit. Ita *anni omnes Sauli* & *Jorami*, Regnum Israëliticum tenentium, non numerantur. Quæ causa? In aliis tamen anni Regni durantis *accuratè* enumerantur. Qui Regni administrationem impiam, in *ultimis* Imperii *annis pessimam* novit, non mirabitur hoc Silentium. Non merentur enim nomen Regum, qui adeò abutuntur datâ cœlitus potestate, non dicendum est Regnum, quod injustæ tyrannidis speciem præ se fert. Ita *Paulus* & *Silas* dicuntur carceri inclusi & liberati Act. XVI. 19. *Timotheus*, Pauli comes, evasit, nec describitur *evasionis causa*. Si autem cogitemus, *Timotheum* tunc temporis nondum publicè prædicâsse Evangelium ob *teneram juventutem*, facilè patet silentii causa. Deus enim parcit debilitati suorum, nec imponit onera viribus graviora. Vid. Hieronymi van ALPHEN Prolegomena ad Epistolam Pauli priorem ad Thessalonicenses.

Canon XIV.

In circumstantiis gravioribus multum juvat quoque scopi consideratio, ad Silentii causas speciales enodandas.

SApientia Divina ut certum aliquem in historia monumentis sacris inserenda *scopum* intendit, ita ea sola tradit, quæ huic scopo sunt consona. Exemplo sit narratio *Christi fugientis in Ægyptum*, cujus circumstantiæ plures, *annus*, *mensis*, *dies*, non memorantur. Scopus hujus historiæ fuit tum *confirmatio fidei* nostræ, ut constaret, Jesum esse promissum Messiam, ejusque characteres in scriptis propheticis esse depictos, ac accuratissimè in persona Christi impletos Hos. XI. 1. tum *roboratio spei*, ut appareret cura Dei in tacendo Christo, ejusque Corpore mystico. Non postulat hujus scopi ratio accuratam *temporis* enarrationem. Imò suppressio temporis nos monet, Deum *nulli tempori* esse alligatum in liberatione Ecclesiæ, ipsum *omni momento* Ecclesiæ tenellæ, debilium in fide, ut Christum infantem curavit, curam paternam habiturum. Colligimus tamen ex cæde bimulorum, Christum fere biennem fuisse, cùm in exilium abire cogeretur.

Canon

CANON XV.

In Silentio Historico causæ negativæ sedulò sunt distinguendæ à positivis.

NEgativæ Silentii causæ sunt, quia nec *necessaria*, nec *utilia* sunt, quæ omissa credimus. *Positivæ* autem causæ sunt, quia ipsum silentium *usum* aliquem habet ad cognoscendam veritatem, vel pietatem inculcandam. Distinguendæ ergo *positivæ* à *negativis*, neque *illæ* fingendæ, ubi *hæ* solæ obtinent. Ita permissio τῆς κρεοφαγίας divina non legitur *ante* diluvium, quæ tamen expressis verbis commemoratur *post* diluvium. Gen. IX. 2. 3. Colligunt ex hoc Silentio quidam Interpretum, ante diluvium *illicitum* fuisse carnis usum. Fingunt ergo causas *positivas*. Verùm *aliæ* potiùs, & quidem *negativæ*, locum habent. Non necessaria fuit expressa totidem verbis κρεοφαγίας concessio, quia jam continetur in *dominio rerum* generali, cui & animalia omnia suberant. Non tamen certum est & exploratum, homines primævos ante diluvium *usos* esse hoc jure suo. Silet *Moses*. Scriptores exteri narrant, aureæ ætati ignotam fuisse animalium mactationem. Testem cito VIRGILIUM Georg. Lib. II. ℣. 537. *antè:*

Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis.

HERODOTUS memorat etiam sui temporis populos Atlantas, οὐδὲν ἔμψυχον σιτεύμενους *non vescentes animalibus, quibus vita inest*, sed rebus vitâ carentibus per naturam.

Canon XVI.

In causis Silentii positivis diligenter distinguendæ sunt Theoreticæ à Practicis.

THeoreticæ removent errores, & veritatem confirmant. *Practicæ* vitia profligant, & pietatem commendant. *Distinctæ* sunt illæ, & non confundendæ, sed tamen sæpè *conjunctæ* sunt. Sic *Usus Orationis Dominicæ* vel publicus vel privatus non memoratur in Actis Apostolicis. Auctor tamen est Hieronymus in Ecclesia Apostolica per solam *Orationem Dominicam* factam esse consecrationem sacræ Cœnæ. Lib. VII. Epist. LXIII. Silentium igitur agnoscendum, si vera perhibet Hieronymus. Causæ Silentii occurrunt *Theoreticæ* & *Practicæ*. Docet enim Silentium illud, usum Orationis Dominicæ non vertendum in *superstitionem*, nec ullo modo limitandam esse *libertatem* Novi Testamenti. Hæc causa est *Theoretica*. Deinde ex eodem Silentio discimus, in Novi Testamenti œconomia non placere Deo preces, certo *tempori*, *loco*, *numero* alligatas: Deum potiùs corda respicere precantium, quàm formulas & tempora precum, non operis operati qualitatem, sed operantis fidem. Interdum merè *practicæ* sunt Silentii historici causæ. Cùm *tempus lapsûs* Adamici non memoretur; hinc discimus, *opus tenebrarum* fuisse lapsum, quod, Principe tenebrarum suadente, tenebras toti hominum generi immisit, tenebris ergo, non luce, dignum. Cùm siletur *nomen Discipuli fugientis* Marc.

XIV. 52. *incestuosi* in Ecclesia Corinthiaca 1. Cor. V. 1. *divitis helluonis* Luc. XVI. 19. Causæ subsunt *practicæ*. Monemur, ne quenquam ob nævos *temerè judicemus*, neque in aliorum nævis, quibus indolendum, exultemus & luxuriemur, multò minùs fulmina anathematum, damnationis sententiam, jactemus. Cùm *nomen hospitis* non exprimitur, in cujus ædibus Christus ultimum cum Discipulis Pascha celebravit. Matth. XXVI. 18. Monemur, ne ex benefactis gloriam & famam aucupemur. Certi tamen esse possumus, memoriam piorum fore in benedictione, cujus gratiæ documenta sunt tot cultorum Dei nomina, in sacris Annalibus ad æternam rei memoriam conservata.

CANON XVII.

In causis Silentii Historici explicandis interdum necesse est supponere circumstantias non expressas, id est, novum Silentium Silentio addere.

EXemplo illustrare regulam studebimus. Quando Regi *Davidi*, superbiæ pœnam luituro, tristissima permittitur optio, utrum fame, an peste, an verò hostium manu castigari malit? Memorantur septem *anni famis*, 2. Chron. XXII. 12. & tres tantùm *anni* 2. Sam. XXIV. 13. Omittuntur ergo anni quatuor à Scriptore librorum Samuelis, quos sollicitè annotavit Collector Annalium. Quæritur, quæ sit omissionis, quæ silentii *causa*? *Supponi* necessariò debent circumstantiæ non expressæ, id est, silentium *novum* addendum silentio. Cre-

dimus, eo tempore, quo Dei juſſu Regi Davidi pœnam dictavit Propheta, jam *per annos* quatuor regnâſſe annonæ caritatem & famem. Reverà ergo *ſeptem anni* famis fuiſſent, ſi præcedentibus annis *quatuor tres* additi fuiſſent. Neque obſtat pœna nondum tolerata, ſed toleranda. Nam graviores longè erant anni famis continuatæ, quàm inchoatæ. Gravior eſt annonæ caritas, quæ anno quinto, ſexto & ſeptimo urget mortales, quàm quæ primo, ſecundo aut tertio. Ingraveſcit malum paulatim. Augentur pretia rerum. Creſcit annonæ raritas & caritas. Ergo non tam quoad *numerum*, quàm quoad *rem ipſam*, & pœnæ eſſentiam anni jam elapſi pœnæ ſunt addendi. Nec opus fuit, à Scriptore ſacro dici expreſſis verbis, annos eſſe ſeptem, ſi jam elapſos addas, verùm tres famis annos, non plures, numerari poſſe, ſi demas elapſos. Hæc enim eo tempore, quo contigerunt, quo ſcripto conſignatæ ſunt res geſtæ Regum, notiſſima cunctis fuerunt.

Canon XVIII.

Denique in Silentio Hiſtorico non parùm facilitat cauſarum ſpecialium inventionem collatio ejus, quod ſiletur, cum re ſimili, quæ non ſiletur, ſed narratur.

SI in rebus *ſimilibus* aliqua occurrat *diſparitas*, non difficile eſt, *cauſam* hujus diſparitatis invenire. Exemplo ſint *ſuſcitati à mortuis* homines, ſimiles hac in parte Chriſto Patris robore ſuſcitato. Datur tamen *diſparitas*. *Qui-*

dam eorum, qui ſuſcitati ſunt, *locuti* feruntur, ut *filius* ille *Viduæ*, Luc. VII. 15. ſed *ſolius Chriſti* reſuſcitati ſermones & *dicta* ſedulò notantur in Evangeliſtarum ſcriptis, imprimis Joh. XX. & XXI. & Act. I. Quæ *ratio* diſparitatis? Cur quidam non leguntur locuti? Cur aliorum quidem narratur ſermo, ſed materia ſermonis reticetur? Cur *ſolius* Chriſti dicta referuntur in Hiſtoria ſacra? In promtu cauſa eſt. Non audienda *hominum auctoritas*, etſi à mortuis ſuſcitatorum. Luc. XVI. 31. Audiendus *ſolus Chriſtus* eſt, quem reſuſcitatio ipſa declaravit verum & unicum Servatorem, ſummum Prophetam, dilectum Dei Filium. Deut. XVIII. 18. Matth. XVII. 5.

CANON XIX.

Silentii Typici ſpeciales cauſæ non poſſunt cum ſucceſſu quæri & inveniri, niſi conſtet de Typo ipſo.

CONſtare debet de Typo primò *an ſit?* deinde *quis* ſit? *Prius* conſtat, ſi vel *apertè*, vel *obſcuriùs*, & per alluſionem ipſa Scriptura ſacra teſtetur, vel denique per *conſequentiam* legitimam ex verbo divino probari poſſit, rem illam, de qua agitur, eſſe rei alterius, ad Chriſtum ejusque regnum & beneficia pertinentis, delineationem. *Poſterius*, ſi ipſam illam *rem*, cujus imago continetur in Typo, commonſtrent quocunque modo Scriptores ſacri. *Utrumque* requiritur. Non ſufficit *vagum* typum, incertam imaginem menti proponere, ſi *cauſas* ſcire velis, cur in typo illo deſcribendo

hæc vel illa *omittantur*. Ex *Antitypo* enim derivandæ sunt causæ illæ, qui *ignotus* est & incertus, unde causæ quoque manent incertæ & *ignotæ*. Exemplo aliquo rem elucidare studebimus. Certum est, *Hircum emissarium* fuisse *Typum*, quia pertinet ad choragium cærimoniarum typicarum, quia insignis est pars cultûs typici in die Expiationis expressa Dei lege observandi, & quia jungitur Hirco alteri pro peccatis populi offerendo. Incertum tamen est & controversum inter Scripturæ Interpretes, an fuerit *Christi* Typus coram Judice Divino absoluti & resuscitati post mortem satisfactoriam, an verò *peccatoris* dimittendi & absolvendi coram Deo propter mortem Christi oblati in Typo Hirci alterius pro peccatis nostris, an denique *Populi Judaici* in exilium expellendi ob fidem sacrificio Christi denegatam. Sunt quoque, qui *Satanæ* Christi morte superati, & in perpetuum exilium ejecti typum quærunt in Hirco illo emissario. Si itaque scire velis, quæ sint *causæ*, cur *exitus* Hirci emissarii sive vita, sive mors expresse non memoretur, frustrà hujus silentii causas ex Antitypo colligendas indagabis, nisi Antitypus exploratus sit. Incertus si sit Antitypus, incertum quoque erit, an silentium, quo tegitur exitus Hirci emissarii, eò pertineat, ut *Vita* & *Resurrectio* Christi, an verò ut *vita fidelium* morte Christi parta, aut ultima *Judæorum conversio* hoc ipso, quia mors Hirci non memoratur, delineetur & adumbretur? Placet tamen præ reliquis sententia eorum, qui statuunt, Christi mortem & resurre-

ctionem uno eodemque typo depingi haud potuisse, adeóque *duplicem* typum, sed conjunctum arcto vinculo, *duos* Hircos eò tendere, ut *alter* mortem, *alter* verò resurrectionem Christi præfiguraret.

CANON XX.

Deinde, ut causæ finesque Silentii Typici determinari possint, sciendum quoque, an Silentium ad Typum pertineat?

FActum aliquod typicum esse potest quoad *aliquas* circumstantias, non *omnes*. Quæritur, an *illæ* circumstantiæ, quæ silentur & omittuntur, ad Typum referendæ sint, nec ne? Si referendæ sint ad Typum, operæ pretium est, Silentii causas investigare, sin minus, opera luditur. Exemplo sit *Cainus* fratricida. Indubium est, *Abelem* fuisse Typum Christi. Testis ἀξιόπιςος est Scriptura ipsa, Hebr. XII. 24. ubi *Sanguis Christi* sanguini Abelis comparatur. *Cainus* igitur fuit Typus *Judæorum*, fratrum Christi secundùm carnem, ut Cainus Abelis Germanus fuit, ex invidia & odio, ut Cainus, fratrem Jesum Christum trucidantium. In Caino & Judæis idem odii fons & eadem origo fuit, nempe superbiæ carnalis & meriti proprii, justitiæ propriæ fiducia. Hæc certa sunt & inconcussa. An verò silentium eorum, quæ ad Abelem *dixit* Cainus, referendum sit ad Typum, valdè dubito. Non videtur referendum, cùm frequentes Judæorum cum Christo disceptationes, conjectæ in Jesum in-

nocentissimum calumniæ accuratè notentur, & non omittantur ab Evangelistis. Silentium igitur merè historicum est, ut suprà notavimus, non typicum.

Canon XXI.

Si Silentium sit verè Typicum, si certi simus de Typi mysterio, causæ speciales Silentii in Typo illo occurrentis vel ex convenientia Typi cum Antitypo, vel ex discrepantia derivari possunt.

Liceat in Silentio Typico, ut antea in Silentio Historico, distinguere causas Silentii *positivas* à *negativis*. *Positivæ* causæ reperiuntur in *convenientia* Typi cum Antitypo, sive *sileatur* id in Typo, quod non invenitur in Antitypo, sive *inveniatur* illud in Antitypo, cujus oppositum non memoratur in Typo. *Prius* deprehenditur in memorato ante Typo *Hirci emissarii*, cujus non memoratur mors, quæ in Antitypo abesse debet, quicunque ille demum sit, sive Christus resuscitatus, sive peccator justificatus, sive populus Judaicus conversus. *Posterius* apparet in Typo *Abelis*, cujus non memoratur indignatio adversùs fratrem injustum. In Antitypo Christo invenitur patientia summa, ut in Typo Abele non memoratur impatientia. Causæ *negativæ* locum habent, quoties apparet *discrepantia* Typi & Antitypi, quoties non adest Typo, quod tamen adest Antitypo, sive *planè* non adsit Typo, quod silentium est necessarium, sive non adsit *eodem modo*, quod silentium est voluntarium & liberum.

CANON XXII.

Facile eſt & tutum, ex convenientia Typi cum Antitypo deducere cauſas Silentii Typici.

HIc *Scopus* eſt Typorum omnium, exprimere Antitypi imaginem, formam & *characterem*. Characteres autem Antitypi exſtant non ſolùm in iis, quæ de Typo *dicuntur*, ſed etiam in illis, quæ *omittuntur*, cùm dici potuiſſent. Ita Gen. XXII. ℣. 10. in *Iſaaco* Chriſti Typo non ſolùm apparent lineamenta *expreſſa*, ſed etiam *occulta* in oculos non incurrentia, ut ſolemus notas perſonarum formare ex iis, quæ in facie vel apparent, vel non adſunt in his, cùm adſint in aliis. *Priora* ſunt deſtinatio ad ſacrificium per voluntatem Patris, filii obedientia, & locus immolationis. *Poſterioris generis* eſt ſilentium, cui involvuntur ea, quæ poſt colloquium, ℣. 7. 8. commemoratum, ad Patrem dixit Iſaacus. Ne verbulum quidem narratur emiſſum, quod ſilentium ad Chriſti pro peccatis noſtris immolati patientiam depingendam applicari poteſt. Hæc cauſa ſpecialis ſilentii, hic finis eſt.

CANON XXIII.

Ex diſcrepantia Typi & Antitypi cauſas quærere etiam licet Silentii Typici, ſed cautè, & duce Scripturâ ipſâ.

DIſcrepantia Typi & Antitypi monſtrat cauſas Silentii Typici, quando hoc *Typi im-*

perfectionem Antitypi præstantiæ multis modis cedentem indicat. Non tamen quidvis ex quovis fingere, aut ingenio indulgere licet. Sequendum est filum Ariadneum Verbi Divini sive *apertè*, sive *tectè* ad silentium ejusque causas ducentis. *Apertè* id fit Hebr. IX. 13. ubi solus memoratur *Cinis* vaccæ rufæ, non aqua, cui cinis misceri in Typo debuit, ad mundationem pollutorum typicam. *Causa* silentii seu aqua omissa indicatur, quia non aqua, sed *Sanguis* Christi vim habet purgandi conscientias ab operibus mortuis. *Tectè* id fit Prov. III. 18. ubi memoratur *arbor vitæ*, cujus tecta silentio est species, quia Typo longè *dignior* est Antitypus. Illius enim cognitio per peccatum obfuscata est: Antitypi autem cognitio, ut necessaria est ad salutem, ita cuivis obvia.

Canon XXIV.

Silentium denique Propheticum præ reliquis poscit cautam causarum specialium determinationem.

FUturorum scientia *soli Deo* priva est, & propria. Quicquid de futuris novimus, id ex Dei revelatione scimus. Oportet igitur, sive Deus quid revelet, sive revelare neget, in liberrima Dei voluntate causam quærere. Sapientissima est hæc Dei voluntas, ut ipsi agnovêre homines, à vera veri DEI cognitione alieni. Testem cito Horatium canentem:

> Prudens futuri temporis exitum
> Caliginosâ nocte texit Deus.

Quæ Deus futura prædixit, aut ad bonorum solamen, aut ad malorum convictionem & terrorem faciunt. Cessantibus his causis, cessat & effectus. Multa sunt, quæ præscire magis nocet, quàm prodest. Aut enim securitatem augere potest pœnarum dilatio, aut desperationem suadere malorum magnitudo & duratio. Periculum quoque est, ne homines auderent Providentiæ Divinæ limites figere, & impedire Dei consilium, quod vanum quidem & irritum esset ausum, si Deus uti velit potentiâ suâ, cui resisti non potest, sed tamen non utitur Deus viis extraordinariis, si per vias extraordinarias Providentia rebus humanis consulere possit.

CANON XXV.

Interdum ex circumstantiis vaticiniorum expressorum rectè deducuntur causæ omissorum.

HAc in parte simile est Silentium Propheticum Silentio *Historico*, ut *Historia* prædicta, cùm evenit, est impletum *Vaticinium*, & contrà *Vaticinium* est *Historia* nondum facta. Exemplum datur Matth. II. 13. ubi Angelus Dei prædicit *exilium*, ejusque *finem*. Promittit quidem Josephi ac Mariæ, & imprimis Christi *reditum* ex Ægypto in Canaanem, sed non prænotatur *tempus* terminandi exilii, & repetendæ patriæ. Eò magis attentionem mereri videtur hoc Silentium, si recordemur, Deum olim prædixisse quoque *tempus* liberationis & reditûs ab exilio non solùm *integræ genti*

Iſraëliticæ, ſed etiam *ſingulis*, ut *Sunamitidi*. Populo integro *ſeptuaginta*, mulieri *ſeptem* annos exilii præfixit. Jer. XXIV. 11. 2. Reg. VIII. 1. Cur ergo non prædicuntur anni, quos *Chriſtus* in exilio cum parentibus conſumturus erat? Annon perſona θεανθρώπυ meretur illam curam & amorem Dei, quo Deus homines peccatores dignatus eſt? Annon patent omniſcio Numini omnia, ut in ipſum cadere non poſſit ullius futuri eventûs minimi æquè ac maximi ignorantia? Subeſſe ergo Silentio debet cauſa graviſſima, quam ex circumſtantiis colligimus. Chriſtus *Deus* eſt & *homo*. Ut *Deus* non ſubeſt *temporum* limitibus, neque incluſus *locorum* terminis. Ut *homo* non habuit *domicilium* proprium, ubique *peregrinus* in terris fuit, ubique *exul*, qui ad promerendam nobis patriam cœleſtem reliquit cœlum, ut aliquamdiu peregrinaretur in terris. *Joſephi* Tutoris *fides* & obedientia exploranda fuit hoc ipſo Silentio, ut olim *Abrahami*. *Huic* Deus præcepit iter in terram *ignotam*, *illi* in terram quidem certam, ſed ad tempus *incertum*. Ita diſcimus exemplo Joſephi Deum ſequi Ducem, *quocunque* juſſerit ire, vel in ipſum exilium, neque ſolùm in breve & limitatum, ſed etiam in longum & *illimitatum*. Ita monemur, ſemper dulce eſſe exilium, & ipsâ patriâ amœnius, ſi ex amore in *Jeſum* exulemus, ſi ipſum habeamus *Ducem* & *Comitem*, ſi proſit *Chriſti cauſæ*, Corpori ipſius myſtico exilium, ut Joſephi exilium Chriſtum Herodis eripuit inſidiis.

CANON XXVI.

Pro rerum prædicendarum varietate variæ quoque sunt causæ speciales, varii fines Silentii Prophetici.

IN *Theoretico* Argumento, quando Silentium observatur, plerumque & causæ sunt *Theoreticæ*, in *Practico Practicæ*. Quando Christus Discipulos celavit *tempus* ac *horam erigendi Regni spiritualis* ac cœlestis. Act. I. 7. Causa hujus Silentii fuit præjudicium Judæorum de erigendo *Regno terreno*. Non exemtum fuit animis Discipulorum hoc præjudicium antè, quàm *Spiritus* sanctus copiosissimè effusus in ipsorum corda tenebras omnes dispulit, & veritatis fulgidissimam lucem accendit. Ergo ante accepta Spiritûs cœlestis dona neque *rem ipsam*, nempe regnum Christi, neque *modum* ac *tempus* assequi potuerunt Discipuli. *Theoretica* est hæc Silentii causa, nempe error judicii, & intellectûs in cognoscendis rebus divinis debilitas. Alia est causa, nempe *practica*, quæ Christum permovit ad silendum *tempus* & *diem Judicii ultimi* & universalis. Vidit enim sapientissimus Servator, prædictionem apertam hujus temporis verti in *abusum*, & *securitati* servire posse, si servi mali dicant: *Tardè*, & post longam demum annorum seriem *veniet Dominus*. Matth. XXIV. 48. Texit itaque terminum judicii, & hoc silentio à securitate ad *vigilantiam* revocavit fideles, ut apertis oculis DEUM, Christum, se ipsos, alios, præterita, præsentia, futura, amicos,

hoſtes, cœlum, infernum, fugienda, facienda, patienda circumſpectè obſervent, Judicemque ſubitò appariturum in fide, amore, ſpe, patientia, & bonorum operum ſtudio exſpectent, parati ad reddendam omnium cogitatorum, dictorum, factorum omni tempore rationem. Matth. XXIV. 44. Marc. XII. 32. 33. Luc. XXI. 36.

Canon XXVII.

Silentium Parabolicum eodem modo inveſtigandum & judicandum eſt, quo Hiſtoricum, Dogmaticum, Practicum & Propheticum.

P*Arabola* eſt *Hiſtoria ficta*, non vera, quæ tamen vera eſſe poſſet. Si itaque *Parabola Hiſtoriæ* ſimilis eſt, ſequitur & Silentium *Hiſtoricum* convenire cum *Parabolico*. Scopus autem Parabolæ eſt, aut *veritatis* confirmatio, aut *pietatis* inculcatio, aut futurorum *Eccleſiæ fatorum* delineatio. Cuncta deprehenduntur in Parabolis Chriſti vel *diviſa*, vel *collecta*. Videndum ergo, quis *Scopus* ſit Parabolæ, utrum *Dogmaticus*, an verò *Practicus*, aut *Propheticus*, ut conſtet, utrum Silentium Parabolicum ad normam *Silentii Dogmatici*, an verò *Moralis* aut *Prophetici* judicandum ſit? Exemplo ſit Parabola, quæ legitur Luc. XVI. 19. ſeqq. ubi verſu 22. ſiletur *Sepultura* Lazari. Sine dubio *Scopus* Parabolæ eſt *practicus*, ut divites opibus & opinionibus diſcant, abnegatis omnibus ad *paupertatem ſpiritûs*, veram humilitatem, pœnitentiæ comitem, fidei matrem deſcendere.

Ergo juxta Canones Silentii *Moralis*, *practicæ* quoque Silentii causæ quærendæ sunt, nempe magis curandam esse *animam* immortalem, quàm corpus, non pendere felicitatem aut gloriam veram ab honore *sepulturæ*, pompam sepulchralem esse *ultimum* verè honorem malorum, quorum cum morte incipit æterna ignominia, pios autem etiam *non sepultos* in morte veræ & æternæ gloriæ sentire initia, *defectum* ergo splendidæ & sumtuosæ *sepulturæ* in piis largissimè *compensari* per *Angelos*, non corpus, sed *animam* ad veram & æternam quietem portantes, hoc ipso Silentio edocendi sumus.

PARS TERTIA,

Exhibens Exempla Silentii Scripturarii selectiora.

EXEMPLUM I.

Prov. III. 18.

עץ חיים היא למחזיקים בה ותמכיה מאשר׃

Arbor vitæ est ipsa omnibus apprehendentibus eam, & quisquis tenet illam, beatus prædicandus est.

§. 1.

HActenus *Silentii* ſcripturarii *ſpecies* varias enumeravimus, cauſas tam *generales*, quàm *ſpeciales* commonſtravimus, & *Regulas* in *Silentio* indagando, *cauſisque* Silentii detegendis obſervandas ſuppeditavimus. Non defuit occaſio ubique allegandi *Exempla* Silentii varia, cauſasque indicandi. Juvabit tamen *Exempla alia* illuſtriora adjungere, unde aliqua lux Argumento difficili accedit. Parte *primâ Silentium* in *genere*, & *Silentium Scripturæ S.* in *ſpecie* ſpectavimus, variaque illius *Genera*, *Cauſas*, *Fines* enumeravimus. Parte *ſecundâ Regulas* interpretandi Scripturæ Silentium expoſuimus. Nunc *tertia* Pars in *Exemplis* tradendis verſabitur.

§. 2.

Licet autem *duplicem* viam ingredi, & vel *ſeriem* Verbi Divini ſequi, vel *ordinem* Silentii ipſius.

ipſius. *Prior* via à *capite* ad *calcem* Scripturæ ſacræ extenditur, *poſterior* à Silentio *Dogmatico* initium habet, & per *Morale*, *Hiſtoricum* & *Typicum* progreſſa deſinit in *Prophetico*.

§. 3.

Prius nimis *operoſum* eſſet & *prolixum*. *Prolixum* enim eſt & *operoſum*, juxta *ſeriem* Librorum Scripturæ perſequi Silentii Exempla. In *Geneſeos initio* ſtatim plura ſimul concurrunt. Moſes *apertis* verbis tradit, *Terram*, primo die creatam, *informem* fuiſſe, non tamen *Cœli perfectionem*, quam ex certis colligimus indiciis, aſſerit. Deinde Cœli Incolas *Angelos* primo die cum Cœlo creatos non memorat, quorum tamen creationem colligimus ex Job. XXXVIII. 7. *Quum laudarent pariter ſtellæ luminis, & jubilarent omnes filii Dei*. Denique *quot anni* inde à creato mundo ad Moſen effluxerint, *quâ anni tempeſtate* conditi fuerint primi mortales unà cum mundo univerſo, non attingit Scriptor ſacer. Occurrit ergò in Geneſeos principio *varium* Silentium *Dogmaticum*, *Hiſtoricum* & *Typicum*, *illud*, quia *Angelorum* reticetur *origo*, *iſtud*, quia *tempus mundi* & Angelorum creatorum non definitur, hoc denique, quia Angelorum, Creatorem celebrantium, *Concentus* typus fuit Angelorum, *ſalutis opere gaudentium*. Luc. II. 13. 14. Luc. XV. 10.

§. 4.

Cauſa hujus Silentii triplicis hæc allegari poteſt. Non memoratur *Cœli perfectio*, quia ſacra Scriptura tradit *Theologiam Viatorum* in ter-

ris, non comprehenſorum in cœlis. Homines ſenſibus adſueti non ſatis capiunt *cæleſtia*, quorum plenior cognitio alteri vitæ reſervata eſt. Deinde non deſcribitur *Angelorum origo* & *gratulatio*, quia non *Angelorum*, ſed *hominum* Mediator eſt Chriſtus. Hebr. II. 16. Accuratior eſt Scriptura ſacra in deſcribenda *nova*, quàm prima creatione. Hæc quoque cauſa eſt in genere *breviſſimæ* narrationis Moſaicæ, quæ mundi originem delineavit. Plenior eſt Moſes in *deſcribendo Tabernaculo* Eccleſiæ Typo, plenior in fatis Eccleſiæ depingendis. Vid. Exod. XL. & 1. Reg. VI. VII. VIII. Matth. I. II. Luc. II. *Amiſſam* felicitatem accuratiùs ſcire, eſt ſcire plures cauſas *triſtitiæ*; *recuperatam* verò ſcire, eſt ſcire cauſas *lætitiæ*. Ideò in illa deſcribenda *brevior* eſt Moſes, in hac *operoſior*. Longior igitur & gravior eſt labor, quàm ut eum *temporis* aut *virium* ratio ferre poſſit, ſi inde à principio ad finem Scripturæ ſacræ *omnia* Silentii Exempla perſequi velimus. Deinde metuenda quoque eſſet *Repetitio*, quia multorum in antecedentibus jam facta fuit mentio.

§. 5.

Difficile eſt accuratè diſtinguere Exempla Silentii *Dogmatici*, *Moralis*, *Hiſtorici*, *Prophetici* & *Typici*, quia plerumque in eodem exemplo concurrit Silentium *duplicis* generis, vel *triplicis*. *Liberior* eſt campus & gratior *varietas*. Poſſunt etiam, monente hâc vel illâ cauſâ, ne longiùs provehamur, faciliùs contrahi vela.

§. 6.

Primum igitur *Exemplum* Silentii accuratius considerati suppeditabit præclarum *Paræmiastæ* dictum. Prov. III. 18. *Ipsa* (sc. Sapientia æterna & personalis) *Arbor vitæ est illis, qui prehendunt ipsam, & qui eam tenent, eorum beatus quisque est prædicandus.*

§. 7.

Occurrit in hoc Exemplo simul Silentium *Dogmaticum*, *Historicum* & *Typicum*. *Dogmaticum*, quia Arbor vitæ fuit *Sacramentum* Fœderis operum, cujus cognitio ad Theologiam Dogmaticam spectat. *Historicum*, quia ad facta & *Historiam Ecclesiasticam* pertinet cognitio *primævæ felicitatis*. Denique *Typicum*, quia Arbor vitæ *Filii Dei* & *Mediatoris* imago fuit, ut in sequentibus patebit. Addi quoque posset Silentium *Morale*, quia ad *mores* seu *officia practica* referri potest Arboris illius *usus*.

§. 8.

Ita autem bono cum Deo versabimur in hujus Argumenti tractatione, ut primò *rem, quæ siletur*, detegere, deinde *Silentii causas finesque* ostendere laboremus. Supponimus ea, quæ de *nomine*, *scopo* & *usu* hujus Arboris dudum monuerunt Systemata Theologica & Historica, scilicet non à *physico* quodam effectu aut scopo vitam naturalem conservandi, sed ab usu *sacramentali* ad obsignandam obedientibus vitam cœlestem comparato nomen manâsse, cùm exspectatio vitæ tam naturalis, quàm spiritualis ex usu Arboris physico ad *abusum* potiùs pertineat,

qui notatur Gen. III. 22. & evitatur per exclusionem hominum è paradiso.

§. 9.

Cùm *Sapientia æterna*, Filius Dei, dicitur *Arbor vitæ*, necesse est inquirere, *quænam Arbor* fuerit, quæ *Arborum species*, an *una* Arbor, an *integrum genus* sub nomine Arboris vitæ (עץ החיים) intelligatur? Quæ autem *causa* sit, cur Deus *expressis verbis* non distinxerit *speciem* illius à reliquis, cur tegi potiùs & *sileri genus Arboris* voluerit? id deinde secundo loco indagandum occurrit, ubi de *Fide*, operibus oppositâ, sermo erit.

§. 10.

Sapientiam illam (חכמה) de qua loquitur Parœmiastes, non esse *effectum*, sed *causam*, non *Sapientiam finitam*, sed *infinitam*, *æternam* & *summam*, non attributum Dei vel hominum, sed ipsum *Dei Filium*, ex multis constat indiciis.

§. 11.

Nam 1) distinguitur à *cognitione*, ut causa ab *effectu*. ℣. 13. 2) *Attributa personalia* ipsi assignantur, ut *habere dextram* & *sinistram*, *incedere in viis* ac *semitis* &c. ℣. 16. 17. 3) Per eandem *fundata terra*, *cœli perfecti*, *mare excavatum*, & ab arida distinctum fuit ℣. 19. 20. quæ *Filio Dei* competunt Pf. XXXIII. 6. *Verbo Jehovæ Cœli facti sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Joh. I. 1. seqq. Col. I. 16. λόγος & *sermonem*, & *rationem*, seu *sapientiam* notat, quo nomine Christus insignitur. Joh. I. 1. 4)

Filius Dei eſt *Unio illa*, quæ omnibus poſthabitis *emenda* eſt ℣. 15. Coll. Matth. XIII. 46. in ipſo latent *theſauri omnes* cœleſtes ac ſpirituales, *margaritæ* promiſſionum Evangelicarum, *aurum* juſtitiæ ad juſtificationem, *argentum* puriſſimum ſanctitatis ad ſanctificationem. ℣. 14. 15. Coll. Matth. VII. 6. 1. Cor. I. 30. Apoc. III. 18.

§. 12.

Non excludimus tamen *effectum*, qui à cauſa ſeparari non poteſt. *Sapientia perſonalis*, Filius Dei, dicitur Arbor vitæ. Sed tamen *Sapientia* ideò vocatur, quoniam non ſolùm infinitam & ſummam poſſidet ſapientiam, ſed etiam omnis veræ *ſapientiæ Auctor* eſt & Cauſa. Filius Dei eſt *Cauſa meritoria* noſtræ ſapientiæ, *factus eſt nobis à Deo Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemtio*, 1. Cor. I. 30. & *Cauſa exemplaris*, Col. III. 10. quia *induendus eſt homo novus*, imago Chriſti εἰς ἐπίγνωσιν *ad veram ſapientiam*.

§. 13.

Meretur omni jure hoc nomen *Sapientiæ* Filius Dei, ſive *abſolutè* ſpectetur & in ſe, ſive *relatè* ad homines, eosque vel in ſtatu *integritatis* inſtituto, vel in ſtatu *gratiæ* reſtituto.

§. 14.

Sapientia eſt illa intellectûs divini perfectio, quâ *in genere* cognoſcit, *quicquid cognoſci poteſt clarè, diſtinctè* & *adæquatè*, *in ſpecie* verò, quis *finis* ſit optimus, & quæ *media* fini optimo aptiſſima. *Omni* igitur *modo* & *ſummo gradu* illa *Filio Dei*, ut *vero* & *æterno Deo*, propria eſt. Ut verus Deus *ſolus* eſt *ſapiens*, nempe *ſummo*

gradu, & *in se*, ut nulli eam debeat, & *sine* omni *fine* ac *termino*, 1. Tim. I. 17. ita *Filius Dei* unus cum Patre & Spiritu sancto Deus est est is, *in quo omnes thesauri sapientiæ latent*. Col. II. 3.

§. 15.

Patent autem hi thesauri in *operibus* tum *Creationis*, tum *Providentiæ*, tum *Redemtionis*.

1. In opere *Creationis*, cujus Auctor est Filius Col. I. 16. stupenda apparent summæ *Sapientiæ* indicia. Cuncta *per sapientiam*, & *cum sapientia* facta sunt. Ps. CIV. 24.

2. In *Providentiæ* mundum gubernantis opere, quod Filio Dei tribuitur Hebr. I. 3. quàm sublimis & abstrusa modestè vias Dei rimantibus adfulget *Sapientia*? *Quantum distant Cæli* altissimi *à terra* humili, *tantum humanam* omnem superat *Divina viarum Dei Sapientia*. Jes. LV. 9.

3. Imprimis quicquid *sapientiæ* erat in *homine ad imaginem Dei condito*, quicquid *sapientiæ* apparebat, & nunc apparet in *corporis* & *membrorum formatione*, id omne Filii Dei, qui in creatione erat *Opifex*, ut in redemtione est *Maritus* noster Jes. LIV. 5. pandit *sapientiam*.

§. 16.

Ubique occurrunt *fines optimi* & *media aptissima*, imprimis in *redemtione*, cujus *finis optimus glorificatio Justitiæ*, *Misericordiæ* & *Veritatis Divinæ* per *media* decentissima, per *ipsius Filii Dei incarnationem*, *actiones*, *passiones*, *mortem*, *resurrectionem* &c. attingitur. Latent in hoc opere vestigia profundissimæ & abundan-

tissimæ *Sapientiæ* Divinæ, ut meritò exclamaverit Paulus: *O abyssum divitiarum Sapientiæ,* id est, ô profundissimam & abundantissimam Sapientiam! Rom. XI. 33. Ex hoc fonte manat omnis, quæ in *restauratione* datur fidelibus, *sapientia.* 5. Filius enim Dei meruit *spiritum sapientiæ*, qui ad *imaginem sapientiæ* & *cognitionis* divinæ, quæ in Filio elucet, renovat animos, per naturam *verâ sapientiâ* vacuos, & reddit intellectui *lucem* in creatione quidem *datam*, sed per lapsum, eheu! *amissam*. Jes. XI. 2. Col. III. 10.

§. 17.

6. Præivit quoque *exemplo*, cùm *lusit æterna Sapientia inter filios hominum*, in his terris humanâ carne vestita, Prov. VIII. 31. mirantibus hostibus & rogantibus: *Unde huic tanta sapientia?* Matth. XIII. 54. Nec in *docendo* solùm, sed in *vita omni* emicuit Divina Christi *Sapientia* in *detegendis* hostium *insidiis*, in *rimandis cordis* penetralibus, in *prædicendis* suis & suorum *eventibus* &c.

7. Denique Filius Dei est quoque *Sapientia objectiva*, seu *primarium*, *præcipuum*, imò sano sensu & *unicum Sapientiæ objectum*, *α* & *ω*, *prima* & *ultima* cognitio salutaris, Apoc. XXII. 13. *Veritas* seu veritatis Evangelicæ compendium, Joh. XIV. 6. אמת, *initium*, *medium* & *finis* salutaris eruditionis, ut in hac voce *prima*, *media* & *ultima* apparet litera. Noluit *extra* vel *præter Sapientiam* hanc æternam sapere *Paulus*, *non enim judicavit scire aliquid*, *nisi Jesum Christum*,

& hunc crucifixum, 1. Cor. II. 2. nec debent *Christiani*.

§. 18.

Æternam illam Sapientiam, Filium Dei, adumbratum esse per *Arborem vitæ*, dubitare nullo modo potest, qui verba Salomonis attentè perpendit. Occurrunt & loca Scripturæ S. *alia*, ex quibus tamen non tam *evidenter* patet *subjectum*. Ita Apoc. XXII. 2. describitur *Arbor vitæ*, & ita describitur, ut ex *characteribus* sat certis pateat, *subjectum* non esse aliud, quàm *Christum*. Distinguitur enim à flumine Spiritûs sancti procedentis è *throno Patris*, dicitur servire *saluti gentium*, & quæ sunt alia. In multis convenit visio *Ezechielis* Cap. XLVII. 12. nisi quod *Johanni Arbor vitæ*, sed *Ezechieli Arbores cibo aptæ* (כל עצי אכל sine discrimine *omnes* ad cibum utiles) commonstratæ dicuntur.

§. 19.

Ut constet *Convenientia Typi* cum *Antitypo*, primò *Typus ipse*, deinde *Antitypus*, denique utriusque *consensus* & conspiratio perlustranda. Quoties enim *Metaphora* aliqua explicanda est, toties *tria* hæc considerandа, *sensus proprius* primò, dein *improprius*, & denique intercedens inter utrumque *similitudo*.

§. 20.

Quoad *Typum*, nempe Arborem vitæ, præcipuus labor in eo versabitur, ut *quæ Arboris fuerit species*, si non ex certis & indubitatis, saltem probabilibus & verosimilibus argumentis colligamus. Christianus CHEMNITIUS incerta

adeò esse omnia, ut ne quidem *conjecturæ* probabiles afferantur ab Interpretibus, Diss. II. de Arbore vitæ Fasc. II. Crenii, judicat.

§. 21.

Missis veterum & recentiorum Interpretum sententiis *nostram* primò *aperturi*, deinde *rationibus* non paucis *confirmaturi* sumus. Ex recentiorum tamen numero unum memoramus *Dodwellum*, qui putavit, *Arborem vitæ* fuisse *thuriferam*, quia *thuris* ope olim *vivis*, nunc *mortuis* quæritur *incorruptibilitas*. Vid. Bibliotheque Angloise Tom. VI. pag. 9. Quàm infirmo hæc sententia nitatur fundamento, per se patet.

§. 22.

Vitem fuisse Arborem vitæ, ex indiciis neque paucis, neque obscuris colligimus. Non credimus quidem, argumentorum *numero* veritatem evinci, sed *pondere* opus est. Fatemur tamen, in *probabilibus* aliquem usum habere argumentorum *pluralitatem* ad majorem *gradum* probabilitatis assequendum. Alterum quoque altero plus habet *evidentiæ*, plus *efficaciæ* ad persuadendum.

§. 23.

Primum Argumentum suppeditat *nomen* ipsum. *Vitis* à *vita* nomen habet, ut *Arbor vitæ*. (Alii tamen à *vico*, id est, ligo derivant. Aliis vitis est quasi *vinitis.*) Vinum enim *exhilarat cor*, *vitæ* fontem, & vitam reddit jucundam. Ps. CIV. 15. Græci vinum vocant *βότρυος γάνος ἐν δαιτί*, *uvæ in convivio lætitiam*. *Homerus* ita canit:

Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει

Viro fesso robur ingens addit vinum.

Consentit *Horatius* Lib. IV. Od. XII.

Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.

Imprimis *vinum rubrum*, quod *sanguis uvarum* dicitur Gen. XLIX. colorem refert *sanguinis*, in quo *vita corporis* consistit. Lev. XVII. 14. *Viti* quoque tribuuntur Ὀφθαλμοὶ, & *lachrymæ*, ut *viventi*, unde & Arbor vitæ dici meretur ob vitam in vere reducem.

§. 24.

Alterum Argumentum petitur à *Loco*, qui fuit *medium Paradisi*. *Medius locus* honoratior est. Vitis eam tuetur dignitatem, quia arborum est *Regina*. Jud. IX. 12. Et divino honore Gentes affecerunt *Bacchum* vini satorem. *Nobilissimus* hic fructus fuit Canaanis Deut. XXXII. 14. *Butyrum bovis & lac ovium, cum adipe agnorum, & arietes filios Basan, & hircos unà cum adipe granorum tritici*, & *sanguinem uvæ bibisti merum*. Eam ob causam *Herodes vitem auream* immensi pretii supra ostium Sanctuarii suspensam Deo dicavit, de qua consulendi SELDENUS de Jure Nat. & Gent. Lib. II. Cap. VIII. & RELANDUS in Palæstina Lib. III. p. 1017. De *vite aurea Regis Persarum*, cujus *uvæ gemmeæ*, legi meretur *Athenæus* Lib. XII. De *vite aurea*, quâ Darium, Regem Persarum, donavit Pythius HERODOTUS Lib. VIII. Cap. XXVII.

§. 25.

Tertium Argumentum ſuccedit depromtum ex Arboris vitæ *deſcriptione*, quam exhibet ipſa Scriptura Apoc. XXII. 2. promittitur Hieroſolymæ cœleſti *Arbor vitæ*, quæ

1) Plantata fuit ad *fluminis utramque ripam*. Id autem fieri potuit & debuit in locis calidioribus, ut *aura* frequentior, & perpetuus *humorum* affluxus *æſtum* nocivum temperet, & ſalubrem reddat. Ubi enim *æſtus* eſt *nimius*, ut in *Æthiopia*, non plantari *vites* poſſe, oſtendit Jobus LUDOLFFUS in Commentario ad Hiſt. Æthiopicam Lib. §. 71.

2) Fructus *duodenos* dicitur proferre, *ſingulis menſibus* ſingulos. Quid autem mirum, *fructus menſtruos* proferri, cùm EUSTATHIUS teſtetur ad *Dionyſium Periegeten* ℣. 625. in urbe Eubœæ Nyſſa vitem fuiſſe, quæ *quotidianas* dedit uvas. *Bis in anno* naſci uvas in Inſula Samo, tradit ATHENÆUS Lib. XIV. Cap. XIX.

3) *Folia* laudantur *ſalubria Gentibus*, & perpetuò virentia. Ezech. XLVII. 12. Ita *vitem* circa Memphin *perpetuâ comâ* vireſcere, tradit SALMASIUS ad *Solinum* Cap. XXIII. pag. 191.

§. 26.

Quartum Argumentum ſubminiſtrat *Hiſtoria ſacra*, quæ tradit, homines primos *ex Paradiſo ejectos* eſſe, ne de *Arbore vitæ* comederent, quod optimè convenit *viti*. *Ante diluvium* non memoratur *vitis* aut *vini uſus*, quia homo *oxtra Paradiſum* vivere cogebatur ſine dubio in ea re-

gione, quæ *vitibus* caruit. *Post diluvium* verò non solùm *usus*, sed & *abusus vini* invaluit. Gen. IX. 20. 21. Ita enim *mutata* fuit *terræ facies*, ut neque *Paradisus* à reliqua terra fertiliore, neque *Arbor vitæ* à reliquis arboribus dignosci potuerit. Aberat ergo periculum, ne per *usum Arboris vitæ* mortales vitam reparare auderent. Ideò narratur *Ebrietas* & *Nuditas*, ut constaret, tantum abesse post lapsum homines *à vita per Arborem vitæ reparanda & conservanda* in æternum, ut potiùs *per abusum peccatum* augeant in *ebrietate*, & *pœnam*, in *nuditate* pudenda conspicuam.

§. 27.

Novum, & quidem *quintum* Argumentum dabunt *Naziræi* à *vino abstinentes*, eoque modo restitutionem statûs instituti & felicitatis ac integritatis paradisiacæ adumbrantes. *Naziræorum abstinentia* à vino, quæ præcipitur Num. VI. 3. videtur exactè cum *Divino Scopo* Gen. III. 22. congruere, & hypothesin nostram confirmare. Nempe *Canaanis fertilitas* fuit *pignus reparatæ felicitatis primævæ*, & *restituti Paradisi*. Sed tamen promissa fuit *hæreditas cœlestis* eâ lege, ut *abnegatâ justitiâ propriâ*, *posthabitis mundi deliciis*, à *sola* Dei *gratia*, per sola *merita Messiæ*, Filii Dei, & *jus ad vitam*, & *vitam ipsam* sperarent. Ideò Adamus olim abstinere aliquamdiu *Arbore vitæ* debuit, ut *exploratus* demum ac *probatus* hoc pignore frueretur. Ideò & *Nasiræi* ad tempus vino *abstinere* debuerunt, ut *explorati* ac *probati* deinde hoc Canaanis bono cum pignore cœlestium bonorum & vitæ æter-

næ uti possent. LIGHTFOOTUS ex voto *Nasiræatûs* colligit, *Arborem scientiæ boni & mali vitem fuisse*, quæ Judæorum sententia est. Opp. Tom. II. p. 490.

§. 28.

Accedit Argumentum *sextum* & *ultimum*, quod ex collatione dicti nostri cum Joh. XV. 1. emergit, quia sc. *Filius Dei*, qui *Arbor vitæ* vocatur, se ipsum *Vitem* appellat. Argumentum hoc confirmatur *duplici* imprimis observatione: *Prior* est, quòd *Christus nulli* præter vitem arbori unquam in Scriptura sacra confertur, cùm *fideles* nunc *palmæ*, nunc *cedro*, nunc *aliis* comparentur *arboribus*. *Altera* est, quòd Christus merita sua *obsignare* fidelibus voluit per *vinum* in Sacramento sacræ Cœnæ, qui fructus est *Vitis*. Addimus, quòd *Ecclesia* eadem, quæ Paradisi est Antitypus, & Arbori vitæ donata, sæpiùs *vineæ* confertur. Jes. V. 1. seqq.

§. 29.

Additur quoque Argumentis allatis majus robur, si *Arborem vitæ* eandem esse statuamus cum *Arbore scientiæ boni & mali*. Ita enim non contrariatur sententiæ *Lightfooti*, quam modò attigimus, opinio nostra. Ita patet *Nasiræi voti* cum divino mandato Gen. II. 17. convenientia. Adde & *Rechabitarum abstinentiam*, Jer. XXXV. 8. quæ ad *eundem finem* cum Nasiræorum abstinentia tendebat.

§. 30.

Fuisse autem *Arborem vitæ* eandem cum *Arbore scientiæ boni & mali*, colligimus ex *scopo*,

ex *effectu*, ex *sequelis*, aliisque indiciis. Colligimus 1. ex *scopo*, qui fuit *obsignanda* per Arborem vitæ *promissio* Fœderis operum. Hanc autem promissionem sibi rapere non debuit homo *ante probatam* & *demonstratam obedientiam*. Hinc *eadem Arbor* fuit *explorationis instrumentum*, arbor cognitionis boni & mali, quæ fuit *obsignationis medium*, arbor vitæ. 2. *Effectus* inobedientiæ fuit *mors*, cujus oppositum est *vita*. Sicut obedientibus vitam obsignavit hæc Arbor, ita inobedientibus mortem. Imprimis illud גם *porrò* subministrat argumentum, supponit enim jam antè comedisse de Arbore vitæ Protoplastos. 3. *Sequelæ* confirmant hanc conjecturam. Nam eum in finem, suadente Satanâ, *usum* hujus Arboris *maturare* conati sunt primi homines, ut *felicitatem* in arbore vitæ obsignatam *maturarent*. Quid aliud est *similitudo Dei*, quam promisit Satanas, quàm *beatitudo summa*, vita æterna? Hinc 4. post lapsum non memoratur alia arbor, præter *Arborem vitæ* Gen. III. 22. Nulla planè fit mentio *Arboris scientiæ boni & mali*. Peccato similis pœna. Qui adeò inhiaverat *ante tempus*, Deo prohibente, usui arboris, idem excluditur justo Dei judicio. 5. Si *Sapientia* est Arbor vitæ, quis non videt alludi ad nomen Arboris *scientiæ boni & mali*?

§. 31.

Neque obstat, quòd Arbor vitæ *distingui* videtur ab Arbore scientiæ boni & mali, quia non *discriminis*, sed *explicationis* gratiâ occurrunt *duo* ejusdem Arboris *nomina* Gen. II. 9. Textus est: *Ut Jehova fecit progerminare ex terra*

omnis generis arbores, jucundas adſpectu, & cibo utiles, imprimis arborem vitæ in medio horti, ſive arborem illius cognitionis boni & mali. Ita vertimus verba Hebræa. Reliqua difficultate nullâ laborant, præter ו in ועץ & ה in הדעת: Utrumque *videtur contrariari* hypotheſi noſtræ, utrumque verò *ſervit* & *favet*, ſi rectè intelligatur. Prius nempe ו in ועץ non eſt *diſtributivum*, ſed *explicativum*. Verti enim poteſt *id eſt, nempe*. Convenit hic ſenſus eum uſu hujus particulæ. Ita occurrit Cant. III. 11. *in die ſponſaliorum ejus* (וביום) *id eſt, in die lætitiæ cordis ejus*. Sic Deut. III. 25. *Montem illum optimum, nempe Libanum* (והלבנון) Addo Eccleſ. IX. 2. *Sors eadem eſt juſto* & *improbo, bono* (ולטהור) *ſive mundo* & *immundo*, & Lev. XXV. 35. *Peregrinus* (והתושב) *ſive inquilinus*. Poſterius nempe ה *demonſtrativum* nos docet, *explicationis* gratiâ additum eſſe poſterius nomen, ſc. arboris *illius* cognitionis boni & mali, *quam* homines ſibi promiſerunt, inſtigante Satanâ, *quam* & obtinuerunt ſuo malo, *quam* comitabatur triſtis experientia boni præteriti & mali præſentis, *quam* produxit exploratio, non ob Dei, ſed ob hominis naturam neceſſaria.

§. 32.

Quæ hactenus diximus de Arbore vitæ, exactè conveniunt *Sapientiæ æternæ*, Filio Dei. Id conſtabit, ſi primò probemus, *in genere* conſideratum *Filium Dei*, deinde *in ſpecie Filium* Dei, quatenus ſpectatur ut *Sapientia æterna* cum *Arbore vitæ* rectiſſimè comparari poſſe, ſimul quo-

que *causas*, ob quas se ipsum cum *vite* confert Christus, indagemus.

§. 33.

Filius Dei *in genere* consideratus sub Emblemate *Arboris vitæ* proponitur, partim ut *Deus*, partim ut *Mediator*. Hæc enim distinguenda, quia in *statu integritatis* Mediatore non fuit opus. Sed tamen Deus omniscius, cui nota sunt omnia opera sua ab æterno, qui prævidit lapsum & peccatum, jam in *statu instituto* delineavit *statum restitutum*. Ut creatio typus fuit *novæ creationis*, ita *Paradisus Ecclesiæ*.

§. 34.

Filius Dei ut *verus* & *æternus* cum Patre & Spiritu sancto *Deus* dici meretur *Arbor vitæ*, quatenus est *Causa procreans*, *conservans* & *consummans vitæ* omnis, tam *corporis*, quàm *animæ*. Causa est *procreans*, ut *Verbum*, *quo facta sunt omnia* Joh. I. 2. Filius Dei ut *Verbum Patris* inde ab initio locutus est: *Faciamus hominem*. Jes. XLVIII. 16. Causa est *conservans*, ut *fundamentum* portans omnia Hebr. I. 3. Causa *consummans*, ut *verus Deus* & *vita æterna*. 1. Joh. V. 20.

§. 35.

Imprimis Filius Dei ut *Mediator* causa est *meritoria*, *efficiens* & *exemplaris vitæ* omnis in Fidelibus. Hinc *Vita* dicitur Joh. XIV. 6. Hinc *Fons vitæ* Ps. XXXVI. 10. Hinc *Princeps vitæ* Act. III. 15. Hinc *Arbor vitæ*, quia *vitam spiritualem* restaurat in *Regeneratione*, corporis vitam in *Resurrectione* ultima restaurabit, utram-

que

que in cœlo consummabit. Hæc *meruit* per mortem & sanguinem, *efficit* per Spiritum. Et restaurationis & consummationis *Exemplar* fuit in Resurrectione & Ascensione.

§. 36.

In specie Christus Θεάνθρωπος *Viti* se similem prædicat ob *formam externam*, *succum internum*, *ramos*, *fructum*, *folia* &c. quæ omnia ad vitam ducunt. Quamvis in Christo 1) *forma externa humilis*, & contemtu digna videtur, ut in *vite* Jes. LIII. 2. tamen 2) *succum* habet abundantissimum & optimum, *spiritum vitæ* Joh. VI. 63. 3) *Ramos* habet per *fidem* in ipso *viventes* Gal. II. 20. 4) *Fructus* ipsius sunt *Vita*, quam suâ passione & morte meruit fidelibus, demonstranda per actiones vitales, per *fructus justitiæ*. Joh. I. 6. Phil. I. 11. 5) *Folia* sunt *doctrina*, *verbum vivum*, *sermo vitæ æternæ*. Hebr. IV. 12. Joh. VI. 68.

§. 37.

Præcipuè Filius Dei, ut *Sapientiæ* sedes & origo, vocatur *Arbor vitæ* & *Vitis*. Sanè Filius Dei 1) *Sapientiæ Sedes* est, quia instar *Arboris* & *Vitis* succum internum, *Spiritum sapientiæ* possidet. Jes. XI. 2. 2) Idem *Sapientiæ* origo est, quæ *fructus* est *pulcherrimus*, *dulcissimus* & *utilissimus*. *Sapientia*, quam ex Arbore sapientiæ sperare & impetrare possunt fideles, optimè confertur *fructui* arboris. Nam α) *sapere* est à *sapore* seu gustu, Hebræis טעם *gustus* & *ratio* est. β) *Doctrina cibus* est animi. Prov. IX. 5. Hebr. V. 12. Ita ARISTOPHANES in

Pluto: Κυνηδὸν τὴν σοφίαν σιτήσομαι, *canum voracium in morem sapientiam comedam*. THEOPHRASTO ἐνωχεῖσθαι λόγοις est *sermonibus* ut *dapibus frui*. γ) Parentes primi ex *Arbore scientiæ boni & mali*, quam arborem eandem quoque vocari arborem vitæ observavimus, *sapientiam* sibi pollicebantur, *scientiam boni* & *mali*. Opponitur illi *Arbor vitæ*, veræ sapientiæ certissima causa. δ) *Doctores mali* dicuntur *Arbores noxiæ*. Jud. ℣. 12. *Christus* Doctor sapientiæ cœlestis *Arbor bona*. Illæ *mortuæ*, hæc *vitæ* Arbor.

§. 38.

Ex fructu hujus Arboris, sc. Sapientiæ summæ cognitione fluit *vita æterna* Joh. XVII. 3. Ex cognitione enim Christi nascitur *Pænitentia*, *Fides*, *Amor*, *Obedientia* præceptorum Christi, *Sanctitas*, *Spes vitæ æternæ*, & *Vita æterna* ipsa, ad quam præparamur per pœnitentiam, fidem & sanctificationem. In Christo enim cognoscitur *peccatorum magnitudo* & *fœditas*, quæ Filium Dei tot cruciatibus corporis, angoribus animi & morti ipsi objecerunt. Hinc nascitur *pænitentia* cum peccatorum agnitione, odio & fugà conjuncta. Cognoscitur in Christo *Divinæ gratiæ necessitas* & *sufficientia*. Hinc generatur *Fides*. Cognoscitur *Amor Patris*, Filio proprio non parcentis, & *Amor Filii*, sanguinem pro ovibus fundentis. Hinc *amor* accenditur erga Patrem in Filio. Cognoscitur *sanctitas præceptorum* & *exempli* Jesu Christi. Hinc *obedientia* & *sanctificationis* studium. Cognoscitur per Christi sanguinem *patefacta in cœlum via*. Hinc *spes vitæ æternæ*.

§. 39.

Verùm requiritur *Cognitio practica*, ut ipsos arboris vitæ *fructus* cum gaudio *degustemus*, in *succum* quasi & *sanguinem* convertendos. Non enim sufficit *Cognitio theoretica* & speculativa, arborem jugiter contemplans. *Practica* requiritur cum αἰσθήσει cum *gustu* juncta. Phil. I. 9. Ps. XXXIV. 9.

§. 40.

Ita ex usu arboris vitæ nascitur *lætitia*, *solatium*, *robur*, *cognitionis*, *fidei*, *sanctitatis* & *vitæ* spiritualis *incrementum*. Ut *fructus vitis*, in qua quærendam arborem vitæ conjicimus, est *hilaritas* & animi *confirmatio*. Ps. CIV. 5. Ita quoque *fructus sapientiæ* cœlestis *aperit oculos* ut *Jonathanis* 1. Sam. XIV. 27. & *roborat* in viis justitiæ *ad Zionem* cœlestem contendentes, ut *Eliam* cibus angelicus. 1. Reg. XIX. 8.

§. 41.

Imò qui fruuntur, ut decet, his fructibus arboris vitæ, *convertuntur* in eandem imaginem, ut sint *sapientes*, *arbores vitæ*, *palmites in vite*. Vid. 2. Tim. III. 15. 1. Cor. I. 24. Joh. XV. 1. Matth. VII. 17. *Omnis bona arbor fructus bonos facit*. Ubi intelligi *vites* patet ex fructu, scil. *uvis* ℣. 16. Neque solùm *sapientes* sunt illi, qui arboris vitæ fruuntur communione, sed etiam *Doctores sapientiæ*, qui Matth. l. c. intelliguntur sub nomine *arborum bonarum*, ut contra Judæ ℣. 12. *Doctores mali arbores infrugiferæ* vocantur, qui apud Matthæum vocantur *Arbores malæ*.

§. 42.

Uſus Arboris vitæ deſcribitur per *duas phraſes* החזיק & תמך, quarum *prior* notat *conatum*, *poſterior effectum*, ſive, quod idem eſt, hæc *finem*, illa *medium* indicat, quæ emphaſis ex uſu patet. Illud enim eſt in Kal *validè agere*, *per manum* imprimis Joſ. XXIII. 6. 2. Sam. XVI. 21. in Hiphil *facere*, *ut manus validè agat*, *prehendere fortiter* ac diligenter. Jud. VII. 8. Hoc autem *manu firmiter tenere* Jeſ. XLI. 10. Amos. I. 5. 8. Conveniunt cum illis *phraſibus*, quæ leguntur Gen. III. 22. Illud convenit cum שלח יד *extendere manum*, hoc cum לקח *accipere* de arbore vitæ. Non dabatur peccatori vi *fœderis operum*, quod datur credenti per *fœdus gratiæ*.

§. 43.

Non licuit *Arborem vitæ* in Paradiſo *manu contingere*, ad comedendum ejus fructum *ante* ſtipulationes fœderis obſervatas, quia *præmium* datur *perſeveranti*, & *promiſſiones* fœderis cohærent cum *ſtipulationibus*. Niſi *his* ſatisfactum fuerit, *illas* fruſtrà ſperabis. Ubi ergo non conceditur *præmium* promiſſum ſperare, ibi locum non habet promiſſi præmii *pignus* & *obſignatio* in Sacramentis. Neque integrum erat, frui arbore vitæ, quæ *Sacramentum* erat fœderis operum, ante *exploratam* ſatis & *probatam* obedientiam.

§. 44.

Multò minùs poſtulari potuit uſus arboris vitæ *poſt violatum fœdus* operum in lapſu Adami. Quod enim pignus fuit *præmii obedientibus* con-

erendi, non potuit, invito Deo, rapi ad *inobedientes*. Justè igitur DEUS *negavit* homini *lapso* id, quod *ante lapsum promiserat*. Negavit *explicitè* Gen. III. 22. *Ne homo extendat manum, ad comedendum de Arbore vitæ, & vitam æternam obtinendam*. Promiserat *implicitè* Gen. II. 17. *Quo die comederis* (antequam satisfeceris stipulationibus fœderis, & jus obtinueris restipulandi) *morte morieris*, unde opposita vita fuit promissa *fædus servanti*, & vitæ illius *pignus* fuit Arbor vitæ.

§. 45.

Hæc igitur *primaria Silentii causa* est, quo tegitur arboris vitæ species, quia *nullus* arboris hujus respectu Fœderis illius Divini *usus* est, post admissum semel *peccatum*. Simul ac *violatum* est fœdus operum Hos. VI. 7. non possunt Sacramenta hujus *fœderis* vitam obsignare illi, qui per inobedientiam *mortem* meruit.

§. 46.

Cohæret *Causa* Silentii *altera*, quia revelato & instituto *Fœdere Gratiæ* summæ est ingratitudinis ad *Fœdus operum* ejusque *Sacramenta* tentare reditum. Ne igitur homo audax facere omnia, ut tristis docuit experientia, in Caino, & Cainitis, temerario & exitiali ausu moliretur: *fœderis operum* restaurationem, & salutis per *justitiam* & *merita propria* impetrationem, Sapientia Dei *tegi silentio* voluit *Arborem vitæ*, quia sublata spes vitæ per fœdus operum impetrandæ hoc ipso indicatur.

§. 47.

Accedit *Causa tertia*, sc. vitanda *superstitionis* occasio, quæ æquè periculosa est, ac studium justitiæ propriæ. Duplex hominum status est per naturam aut *securitatis*, aut *servitutis*. In *priore* statu ad *justitiæ propriæ* fiduciam proni sunt ; in *posteriore* ad *superstitionem* mortales. Divina *Sapientia* ut *fiduciæ* carnalis, ita quoque *superstitionis* damna novit, & *utrique* occurrit. Arbor vitæ potuit æquè per abusum fieri *fulcrum propriæ justitiæ*, ac *materia superstitionis*. Utrique autem resistit *Silentium* de vitæ arbore. Quamdiu enim ignota latet , tamdiu neque *huic*, neque *illi abusui* locus est. Ita *Serpentem æneum* typum Christi & pignus salutis aboleri necesse fuit, ne in superstitionem diutiùs traheretur. 2. Reg. XVIII. 4.

§. 48.

Denique addi potest *Causa* Silentii *quarta*, quia fideles *statim* à primo vitæ spiritualis initio, vi *unionis* cum Christo, participes non solùm sunt *Arboris vitæ*, sed & *ipsi Arbores vitæ*. Colligimus hanc Silentii causam ex ipsis Dei verbis Gen. III. 22. *Ecce Adam* (denuò) *factus est*, *ut unus ex nobis*. Restituuntur ad *imaginem Christi*, qui est *Arbor vitæ*, fideles, eique similes ipsi sunt totidem *Arbores viventes*, totidem palmites in vite. Quid ergo opus est *frui arbore*, vitæ spiritualis *pignore*, si jam *fruaris* ipsâ hâc *vitâ* spirituali ? In Fœdere operum *Confirmatio* speranda demum fuit *post explorationem*. In Fœdere gratiæ *statim* à primo gratiæ renovantis initio adest *Constantia*. Habent enim

Communionem Fideles non cum *Arbore vitæ*, pignore gratiæ, ſed cum *JESU Chriſto*, Auctore gratiæ.

§. 49.

Medium obtinendæ arboris vitæ, & deguſtandorum ejus fructuum eſt *Fides*. Hinc Synonyma ſunt *edere* & *credere*. Joh. VI. 48. 50. 51. *Qui credit in me, vitam habet æternam.... Qui comedet hunc panem cæleſtem, vivet in æternum. Tria* ſunt in *cibi uſu* conſideranda: 1. Sumitur *manu*. 2. Accipitur *ore*, & manducatur. 3. *Chylo miſcetur* poſt concoctionem, & in ſuccum & ſanguinem vertitur. *Cuncta* in applicatione fidei concurrunt. Nam *α*) Fides *accipit manu* (λαμβάνει) Chriſtum, ejusque beneficia. Joh. I. 12. *β*) Cum *fame* & *ſiti* latiſſimo deſiderio *aperit os* animæ, ad cibum ſpiritualem accipiendum Pſ. LXXXI. 11. Matth. V. 5. *γ*) Cum Chriſto ita ſe *unit*, ut fideles ſint *unus* cum Chriſto *ſpiritus*, & *una caro*. 1. Cor. VI. 17. Eph. V. 30. *Primum* horum propriè exprimitur per verbum החזיק, non excluſis tamen reliquis, quia in fide vera cohærent *omnia*.

§. 50.

Dantur & *Gradus fidei*, qui exprimuntur per *duplex* verbum החזיק & תמך. *Prius* enim actum fidei *directum*, quo extenditur manus, ad Chriſtum accipiendum. *Poſterius* actum fidei *reflexum*, quo tenetur firmiſſimè Chriſtus jam noſter cum omni merito, notat. *Prius* fiduciam habet Chriſti *applicandi*, πληροφορίαν, *poſterius* fiduciam Chriſti *applicati* firmiter te-

nendi, *καύχησιν*, *παῤῥησίαν*. *Prius* aliàs indicatur per phrases *quærere*, *desiderare*, *esurire*, *sitire*, *confugere* ad Christum. *Posterius* per phrases *esse in Christo*, *confidere*, *vivere*, *ambulare* in Christo &c.

§. 51.

Utrumque etiam *Criteria* & *Adjuncta* veræ fidei involvit. Fides enim *totum* Christum sibi applicat, neque acquiescit in *cognitione personæ* Christi, sed *omnem fructum* arboris vitæ sibi vindicat. Ita *prius* vocabulum ad *arborem*, quæ prehenditur, *posterius* ad *fructus*, qui decerpuntur & tenentur, referri potest.

§. 52.

Prius verbum החזיק involvit *desiderium*, *certamen*, *robur*. חזק est *fortem*, *validum esse*, & de *certamine* usurpatur Jos. I. 5. ubi jungitur τῷ אמץ (*fortitudo* manuum *robori* genuum) Conf. Hebr. XII. 12. *Remissas manus & soluta genua erigite*. Ergo *desideratur magnopere*, quod tanta cum vehementia *prehenditur*. Hoc desiderium Christi est *adjunctum* fidei. Ps. XLII. 2. 3. LXIII. 2. Neque fides est sine *lucta*, quæ depingitur Gen. XXXII. & Matth. XV. 22. seqq. Denique & *robur* inest *fidei*, etiam *debili*, vincit & superat ipsum Deum. Gen. l. c.

§. 53.

Posterius nempe האמן includit *amorem*, *constantiam* & *gaudium*. Πρόσκαιροι non *tenent firmiter* Christum, quem prehendisse videbantur. Vera autem fides cum *amore* Christi cohæret, Luc. VII. 47. hinc *constantia* contra omnes carnis &

mundi insultus Joh. XXI. 15. seqq. Cant. VIII. 6.7. unde verum & constans est *gaudium* etiam in adversis. Luc. II. 28. seqq. 2. Cor. VI. 10. Quò *majus bonum* est, quò *major* boni *veneratio* & *amor*, quò *constantior* est *possessio*, eò *majus* inde ad possidentes redit *gaudium*. Quid autem *dignius* est sapientiâ, quid vitâ *optabilius*, quid vitâ æternâ *constantius*?

§. 54.

Hinc vera & consummata redit ad fideles *felicitas*, si constanter arboris vitæ fructibus fruamur, & Sapientiæ æternæ communione deliciemur. Textus habet: תומכיה מאשר *eorum, qui tenent illam sapientiam, quisque beatus est prædicandus*. Sapienter sapientiæ fructus à *multis* possideri, cum *singulorum felicitate*, inculcat Spiritus sanctus. Quisque per *suam fidem* (non alienam) *vivet*. Hebr. II. 4. Fructus sapientiæ non consumuntur unquam. *Quisque* fidelium beatur iis. Neque nocet *Communio*. Si arboris propriæ fructus dividantur inter plures, necesse est partes minores esse toto. Sed arborem vitæ *totam* possident *singuli*, nec per *divisionem minuitur* felicitas. Neque locum habet *invidia*. Imò quò *plures* veniunt in communionem, eò *majus* est gaudium possidentium. Datur autem felicitas solis *perseverantibus*, & *firmiter* bonum cœleste *tenentibus*. Non prehendentes, sed *tenentes* prædicantur beati Matth. X. 22. *perseverans in finem, hic servabitur*.

§. 55.

Felices enim prædicandi, qui in *fame* potiuntur *cibo*, in *periculo* suffocationis media *salutis* reperiunt, qui obtinent, quicquid verè *utile*, *jucundum* & *gloriosum* dici potest. *Beatum* dici putamus merito suo, qui caret omnis *mali* onere, & *boni* veri possessione gaudet. *Bonum* autem *triplex* est: *Utile*, *jucundum* & *honestum*. Omni igitur jure *beatum* dices, qui gaudet fructu arboris vitæ. Cupidus veræ sapientiæ *satiatur* verbo Evangelii, & à peccati *reatu*, *macula* ac *jugo* liberatur. Matth. I. 21. ℣. 6. *Reus mortis* per Christi sanguinem & mortem obtinet *vitam*. Joh. III. 16. Quid *utilius cognitione practicâ*, quæ *intellectum* scientiâ cœlesti, *voluntatem* virtutibus ornat? Quid *jucundius* cognitione eorum, quæ æternæ piorum erunt *deliciæ?* Quid *gloriosius* communione Filii Dei, & Patris per Filium?

§. 56.

Infelix, qui post lapsum arbore vitæ frui audet, ut pignore vitæ, per *justitiam* & *propria merita* impetrandæ. *Beatus* contrà, qui Filio Dei, ut Arbore vitæ, ut *Sponsore*, *Restauratore*, *Datore vitæ* spiritualis & æternæ gaudet. Redditur in *fœdere gratiæ*, quod *fœdus operum* negavit peccatori, perseveranti arbor vitæ obsignavit felicitatem. Negat illam homini lapso Divina *Justitia*, *gratia* reddit in Christo. *Cherub* cum *gladio flammante* prohibuit peccatorem ab usu arboris vitæ, si *proprio* nixus *merito* accedere auderet. *Schechina* invitat & ducit ad arborem vitæ, si per *fidem* solo *Christi merito* con-

fisus *applicare* tibi fructus arboris vitæ velis. Credimus enim, quod ἐν παρόδῳ notamus, *gladium* illum *igneum* fuisse, ipsam illam *columnam igneam*, quæ Israëlem deduxit in Canaanem *pignus Paradisi* cœlestis. *Infelix*, qui, nolente & *repugnante Schechinâ*, hoc pignus sibi vindicare audet, propriis viribus, ut olim suo malo expertus est populus Israëliticus. Num. XIV. 44. 45. *Felix* contrà, qui *Duce Christo* ejusque *Spiritu* per pœnitentiam, fidem, & sanctitatis studium in Paradisum reductus, denuò arboris vitæ fructibus beatur & satiatur. Matth. V. 6. Ps. XXII. 27. XXXVI. 8. 9.

§. 57.

Denique non negligenda *forma passiva* in voce מאשר, quæ involvit *abnegationem sui* & *humilitatem*. Verbum אשר est *incedere*, *progredi*, προβαίνειν, unde πρόβατον *ovis*, quæ *progrediendo* pabulum sumit. Hinc in Pihel notat *facere*, *agnoscere progredientem*, in Pyhal *juvari*, *agnosci in progrediendo*. Hinc ergo accedit notio *felicitatis*, quæ apparet in prosperis *progressibus*. Unde אשר in Kal est *felicem esse*, in Pihel *felicem facere*, *agnoscere*, *prædicare*. In Pyhal verò *agnosci*, *prædicari felicem*. Quicunque igitur communionem fidei habent cum arbore vitæ, Sapientiâ æternâ, *progrediuntur feliciter* in *cognitione*, *pietate*, ut *oves* Christi, πρόβατα, Phil. I. 9. seqq. *Alii* vident, probant, gaudent, *felices prædicant* ita progredientes in gratia *ad exemplum Christi*. Luc. II. 40. 52. Ipsi verò *humiliter* de se sentiunt Rom. XII. 16. non

audent *se beatos prædicare*, sed perpetuo studio enituntur *ad majora*, contendunt *ad metam.* Phil. III. 12. seqq. Vix admittunt aliorum *gratulationes*, qui beatos prædicant, ut *Maria* ægrè admisit. Luc. I. 48.

§. 58.

Non enim *sibi placent* sapientiæ cœlestis studiosi, neque *alios præ se contemnunt*; sed *DEI, Christi, Spiritûs sancti*, & eorum, qui sunt provectiores in studio sapientiæ, audiunt & venerantur *judicia*. Cognitio *sapientiæ mundanæ* ducit ad *superbiam*, quæ turget scientiæ sublimis opinione. 1. Cor. VIII. 1. Contra *cœlestis sapientia* non *æmulatur*, non *clamosa* est, neque in *triviis auderi* vult & stuperi Matth. XII. 19. ἐπιεικὴς facilè *cedens aliis* Jac. III. 17. *mansueta* & *humilis* Matth. XI. 28. iis solis patens, qui *Deum* submisso *timent* animo Ps. XXV. 14.

§. 59.

Imprimis Discipuli sapientiæ in statu *infantiæ* aut *tentationis* adeò non cognoscunt felicitatem suam, ut etiam *infelices* se judicent, quod dulcedinem fructuum arboris vitæ aut *nondum senserunt*, aut *sentire desierunt*. *Infantes* in Christo νήπιοι, *nescii fari*, ut decet, solo hactenus *lacte* nutriti, prima veritatis Evangelicæ *rudimenta* edocti, carent παῤῥησία, nondum experti dulcedinem sapientiæ cœlestis, *loqui non possunt*, quia deest *firmior* fides. Hebr. V. 12. 13. 2. Cor. IV. 13. *Tentati* desinunt *ad tempus* sentire & experiri arboris vitæ suavissimos fructus, quia Satanas & *fidem*, & *adoptionem*, & *spem*

vitæ æternæ infis dubiam facere laborat, ut *Jobo* C. I. 9. *Davidi* Pf. CXVI. 11. ipfi *Chrifto*, quà homini. Matth. IV. 3. XXVII. 40. Utrique ergo infelices fe putant *illi*, quia *nondum impetrâffe* fe putant defiderata, *hi amififfe* fe putant impetrata. *Illi* divinæ gratiæ in Chrifto *magnitudinem* nondum perfpiciunt, ut decet, *hi* gratiæ illius *conftantiam* in tentationum æftu non obfervant.

§. 60.

Prædicantur tamen beati, quotquot fapientiæ divinæ & cœleftis *finceri* & *conftantes* funt Amatores, tum *divino*, tum *humano* judicio. *Divinum* judicium eft 1. *Patris*, qui judicat. 2. *Filii*, qui Patris judicium promulgat. 3. *Spiritûs fancti*, qui confcientiæ illud judicium applicat. Pf. I. 1. feqq. Rom. VIII. 16. *Humanum* eft non *mundi*, fed *Ecclefiæ* & *fidelium*. Non poteft enim *latere lux* veræ fapientiæ, faltem iis, qui habent *fenfus fpirituales* fatis exercitatos, Hebr. V. 14. quin eam videant, ament, imitentur, eique gratulentur, Matth. V. 14. quamvis *iis* lateat, quorum *fenfus excæcavit* Satanas, hujus mundi idolum. 2. Cor. IV. 3. 4. Neque horum laudes captat *humilitas*, neque encomiis fallitur *prudentia* Auditorum & Amicorum cœleftis fapientiæ. Cautos ipfos reddit primorum parentum lapfus, quos *Satanas beatos* prædicavit futuros, ut hoc modo ad inobedientiam invitaret, cùm planè *infelices* probaret eventus. Timent *denuò* ab Arbore vitæ *avelli* per blanditias *antiqui ferpentis*, quibus olim decepti Protoplafti Arboris vitæ ufum amiferunt.

PORISMATA PRACTICA.

§. 61.

Ex hactenus dictis patet, *Jesum Christum*, quà Filium Dei, *eundem* esse in statu *instituto* & *restituto*. Hebr. XIII. 8. Idem est *heri*, ante lapsum, *hodie*, post lapsum, & *in secula* omnia, quoad Divinitatem.

§. 62.

Similis quoque est *felicitas* & hominis *ante lapsum*, & fidelium *post lapsum*. Hinc Restauratio vocatur *nova Creatio*, redditur *Dei imago*, Ecclesia dicitur *Paradisus*, adsunt *flumina Paradisi*, adest *Arbor vitæ*, *Sapientia* menti instillatur &c. Jac. I. 18. Eph. IV. 24. Apoc. XXII. 2. Ps. XXXVI. 9.

§. 63.

Restauratur enim per gratiam divinam pristina illa amissa per peccatum *felicitas*, & *Filius Dei* denuò fit *sapientia* & *vita nostra*. Sapientia *intellectûs*, vita *voluntatis*, sapientia *practica*, quæ non solùm *illuminat* intellectum, sed & voluntatem *regit*, est ipsa *vita spiritualis*. Hæc *Christo* debetur Joh. XIV. 6. qui est *Via*, *Veritas* & *Vita*. *Nemo venit ad Patrem*, *nisi per Eum*. 1. Cor. I. 30. *Qui factus est nobis Sapientia à DEO*, *Justitiaque*, *&* *Sapientia*, *&* *Redemtio*.

§. 64.

Per naturam homines *carent utrâque*, & verâ *sapientiâ*, & *vitâ* spirituali. *Non est intelligens*, *non est requirens Deum*. Rom. III. 11. Eph. II. 1. 5. Hinc *ἀδυναμία* tam in *cognoscenda veritate* Evangelica. Nam *animalis homo non percipit*

ea, quæ Spiritûs Dei, ſtultitia enim illi eſt, & non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicatur, 1. Cor. II. 14. quàm in *faciendo* verè & ſpiritualiter *bono*. *Nunquid colligunt à ſpinis uvam, aut de tribulis ficus? Non poteſt arbor mala fructus bonos facere.* Matth. VII. 16. 18. *Ego ſum Vitis, vos palmites, manens in Me, & Ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine Me non poteſtis facere quicquam.* Joh. XV. V.

§. 65.

Confugiendum igitur ad Chriſtum per *fidem*, *apprehendenda Arbor vitæ*, ut ejus *ſapientia* & *vita* nobis applicetur. *Via* ad Arborem vitæ *præcluſa* per peccatum *recluditur* per ſanguinem & mortem Chriſti, quia expiatis peccatis redditur Dei gratia, amicitia, communio. *Renovavit nobis viam recentem & viventem per velum, id eſt, carnem ſuam.* Hebr. X. 20. *Juſtificati ex fide pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Rom. V. 1.

§. 66.

Fidei autem veræ Criteria ſunt *Abnegatio* propriæ ſapientiæ & juſtitiæ, *fames* & *deſiderium* juſtitiæ, *fiducia*, *amor*, *conſtantia*, & perpetuum fidei *incrementum*, quæ in ſuperioribus inculcata in *praxi* ad Examen Conſcientiæ convertenda ſunt.

§. 67.

Ex unione fidei eſt *communio*, quâ participes reddimur omnium *fructuum* arboris vitæ, imprimis veræ *ſapientiæ* & *vitæ* ſpiritualis, quæ continet primordia vitæ æternæ. Per *fidem*

omnia Christi merita fiunt *nostra*. *Dilectus meus est meus*, *& ego sum illius*, *qui pascit inter lilia*, Cant. II. 16. ut *perfecta* sunt illa, ita & fideles in Christo *perfectâ* beantur *salute*. Col. II. 9. 10.

§. 68.

Ex Arboris vitae fructu redit ad fruentes *vis* & *robur*, ut sapienter *ambulent* fideles, ut vitae spiritualis *operationes* DEO gloriosas, proximo utiles, sibique salutares demonstrent. *Cibus* spiritualis *roborat* mentem. *Internum* est hoc *robur*, sed *externè* patet in *actionibus* spiritualibus. Patet *sapientia* in vitando malo, robur in *faciendo* bono. Eph. V. 15. Col. II. 5. Gal. VI. 10.

§. 69.

Nihil *utilius*, *jucundius* aut *gloriosius* cogitari potest fructibus Arboris vitæ, quæ in superioribus commemorata faciunt ad *excitandum* Arboris vitæ *desiderium*, *inflammandum* quoque, denique & *conservandum*.

§. 70.

Mundus suâ plenus sapientiâ contemnat cœlestem, vitam suam felicem, fidelium infaustam judicet, sufficit *experiri* fideles felicitatis suæ sensum, & *agnosci* felices ab æquis rerum arbitris, imò *Deo Judice* perfectam & æternam possidere beatitudinem. Non nituntur fideles mundi judicio, non concutiuntur aurâ favoris humani, non similes sunt *Lunæ*, quæ mutuatitiam habet lucem. *Si mundus vos odit*, *scitote*, *quòd me priorem vobis oderit*. *Si de mundo fuissetis*, *mundus sanè proprium amaret*; *quia verò de* mundo

mundo non estis, sed Ego elegi vos de mundo, propter hoc odit vos mundus. Joh. XV. 18. 19. Nituntur contrà *verbo* promissionis divinæ, quod æternum est. *Renati sunt non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum.* 1. Petr. I. 23. *Jurejurando* ipsius Dei nituntur: *In quo abundantiùs volens Deus ostendere hæredibus promissionis immobilitatem consilii sui, intervenit juramento.* Hebr. VI. 17. Nituntur *Sacramentis* sigillis promissionum Rom. IV. 11. & *Spiritûs sancti* obsignatione. *Deus enim obsignat nos, & dat Arrbabonem Spiritûs in cordibus nostris.* 2. Cor. I. 22.

Σὺν Θεῷ.

EXEMPLUM II.

Ps. LI. 19.

זבחי אלהים רוח נשברה לב נשבר ונדכה
לא תבזה אלהים

Sacrificia Dei sunt spiritus fractus, cor fractum & contusum Deus nòn spernet.

§. 1.

ADdimus *Exemplum* aliud Silentii scripturarii ex Psalmo LI. 19. *Sacrificia Dei sunt spiritus fractus, cor fractum & contusum DEUS non spernet*, quæ verba ideò ad *Silentium* Scripturæ referenda sunt, quia in *Antitypo* inter *Sacrificia spiritualia* expressis verbis numeratur *Cor*, quod in *typo* in *sacrificiis animalium siletur*, quamvis oblatum.

§. 2.

Eòdem ſpectant dicta alia, imprimis Prov. XXIII. 26. *Da, fili mi, cor tuum mihi.* Nam *ſacrificia* ſunt מתנות *dona*, ex verbo נתן, quod hoc loco occurrit. Alia ad *cordis* in ſacrificiis offerendis *fiſſionem* & *purgationem* pertinent, de quibus in ſequentibus dicetur.

§. 3.

Præſens labor verſabitur in verbis Pſaltæ illuſtrandis, ubi primò *in genere* de *verborum ſenſu*, deinde *in ſpecie* de *Silentio* ejusque *cauſis* diſſeremus, & quidem prius breviter, & ἐν παρόδῳ, poſterius verò *ex profeſſo* & datâ operâ præſtabimus.

§. 4.

Verba Pſaltæ in *duas* abeunt *partes*, prior *Subjectum*, poſterior *Prædicatum* ſiſtit. Utrumque *duplex* eſt. *Subjectum* eſt רוח נשברה & לב נשבר ונדכה. *Spiritus fractus*, *cor comminutum*. *Prædicatum* זבחי אלהים & לא יבזה *Sacrificia Dei*, & *non ſpernet*, ubi prius eſt *affirmativum*, poſterius *negativum*.

§. 5.

Subjecti duplex nomen ſæpè quidem in verbo divino *promiſcuè* uſurpatur, *diſtinguenda* tamen ſunt, quoties *ſimul* occurrunt. *Promiſcuè* uſurpari voces רוח & לב patet ex collatione locorum parallelorum. Pſ. XXIV. 4. XXXII. 2. Idem enim *cor purum* & *ſpiritus*, *à quo abeſt dolus*.

§. 6.

Quoties *diſtinguuntur*, toties רוח *animam ſpiritualem* illuminatam & ſanctificatam, לב verò ad *affectus* ordinatos, vel רוח ad *intellectum*, לב

ad *voluntatem* referri poteſt. Ita enim diſtinguuntur Jeſ. LVII. 15. & *ſpiritus* dicitur *humilis*, *cor triſte*, quia *humilitas* poſita eſt in *judicio* de propria indignitate, *triſtitia* eſt *affectus*, ex malo præſenti vel inſtanti oriundus.

§. 7.

Similem quoque *diſtinctionem* in verbis Pſaltæ obtinere patet ex *Epithetis*, ſubjecto adhærentibus. *Fractus* enim ſpiritus opponitur *alto* & *ſuperbo*, *fractum* & *contuſum* cor *hilari* & *læto*. Nam Eccleſ. VII. 8. רוח מגבה *altus ſpiritu* eſt ſuperbus. Huic opponitur נשבר *fractus* inſtar *arundinis quaſſatæ*, quæ inclinat ad terram. Jeſ. LII. 3. Ipſis fidelibus datur *ſpiritus erectus* רוח נדיבה Pſ. LI. 14. plenus *fiduciâ*, non ſui, ſed Dei Salvatoris. Et huic opponitur *ſpiritus fractus*, plenus *timoris*, ſed *filialis*. Sic quoque Deut. XXVIII. 47. טוב לבב *bonitas cordis* ſtatus *hilaris*, lætus, jucundus eſt, ut contrà *cor fractum* eſt *triſte* & doloroſum. Poteſt denique *cor fractum* opponi *cordi duro* & *rigido*, Exod. VII. 3. 13. 14. ut Ezech. XXXVI. *cordi lapideo* opponitur *carneum*.

§. 8.

Hinc patet per *ſpiritûs fractionem* deſignari *humilitatem*, per *cordis contritionem* autem *triſtitiam* ſecundùm Deum. Hæc junguntur etiam Matth. V. 3. 2. ubi *paupertas ſpiritûs* & *triſtitia cordis* pari paſſu ambulant. Neque ſolvi poteſt hoc vinculum. Ubi humilis peccati agnitio, ibi dolor & triſtitia eſt. Si *pulverem* te agnoſcis, & *cinerem* agnoſces. Qui enim ut pul-

§. 12.

Fundamentum igitur præstantiæ in spiritualibus sacrificiis est, quia *oblatio spiritûs fracti* & *cordis fracti* ac *contriti* facit ad *gloriam sanctitatis*, *justitiæ*, *bonitatis* & *veritatis* divinæ. *Humiliatio* enim peccatoris est *tristitia* secundùm Deum, quæ in pœnitentia seria apparet, facit 1) ad gloriam divinæ *sanctitatis*, quia agnoscitur *odium Dei* adversùs peccatum, 2) *Justitiæ* divinæ, quia sentitur *iræ divinæ* peccatores consumentis æstus, 3) *bonitatis*, quia *spes* veniæ in Christo animum solatur, 4) *veritatis*, quia spes veniæ nititur *promissionibus* divinis.

§. 13.

Non potest igitur Deus *contemnere* ejusmodi sacrificia, quæ ad *gloriam divinæ perfectionis* faciunt, imò non potest non *probare* & *accipere* oblata. λιτότης enim est in verbis לֹא יִבְזֶה: *Plus* intelligitur, quàm dicitur. *Non spernet*, h. e. *probabit*, *acceptabit*. Similia exempla leges in GLASSII Philol. S. pag. 801. Vid. Lev. X. 1. Psl. LXXXIV. 12. Jes. XLII. 3.

§. 14.

Sacrificia quoque *Dei* sunt, quæ *Deus postulat*, & quæ *à Deo data* ipsi *reddimus*. Sanè Deus 1) postulat *μετανοίαν*. Hæc *summa* est doctrinæ *Prophetarum* Jer. III. 7. *Johannis Baptistæ* Matth. III. 2. *Apostolorum* Act. III. 38. & ipsius *Christi* Marc. I. 15. Postulatur *humiliatio* pœnitentis, Matth. V. 3. & *tristitia* Matth. V. 4. 2) Et *petenda à Deo* ea, quæ postulat, efficienda in nobis per gratiam Spiritûs sancti. Jer. XXXI. 18.

Ezech. XXXVI. 25. 26. Ita demum *DEO reddere* & offerre possumus *cor* illud *humile* & *triste*, cor mutatum in melius, quod ipsius gratia *dederat*.

§. 15.

Non potest ergo Deus *spernere proprium opus*, neque *repudiare*, quod jure suo *postulat*. Ita in *Prædicato priori* est ratio *posterioris*. Non potest Deus *abnegare se ipsum*. 2. Tim. II. 13. Abnegaret autem, si sibi ipsi contradiceret *verbis* aut *factis*, si eadem nunc *offerri* juberet, nunc *auferri*, si propria improbaret opera. Deuter. XXXII. 4. Hinc sacrificia Dei sunt *Deo grata in Christo*. 1. Petr. II. 5.

§. 16.

Ergò non solùm *probat* obedientiam, & *approbat* suâ manu restaurata, & denuò creata hominum corda, sed etiam *honorat suâ præsentiâ* corda pœnitentum, ut *templa* & habitacula sua. *Contemtui* enim opponitur *honos*. *Non contemnere* per λιτότητα est *honorare*. Quis autem major est honos, quàm *altissimi Dei* esse *templum*, qui contingit pœnitentibus, humilibus, mœstis Jes. LVII. 15. LXVI. 2. ubi *corda* humilium *templo* opponuntur.

§. 17.

Patet in his omnibus & effulget clarissimè *Divina Sapientia*, si ad *typos sacrificiorum* Veteris Testamenti respiciamus, quò *omnia* ducunt, *voces*, *phrases* omnes, *scopus* & *nexus*. Ducit ad typum sacrificiorum 1) *vox* זבחים, quæ erant *sacrificia animalium*. 2) *Phrasis* בוה *contemnere*

ſacrificium, quæ opponitur phraſi שעה *reſpicere ad ſacrificium.* Gen. IV. 4. Conf. Jeſ. LXVI. 2. 3) *Scopus* eſt, per totum Pſalmum à *Typo* Cærimoniarum aſcendere ad *Antitypum*, unde cum *Typo ſacrificiorum* confertur & *Antitypus*. 4) Id confirmat *nexus* cum verſu antecedente, ubi oſtenditur *inſufficientia* ſacrificiorum typicorum, & cum *ſequentibus*, ubi ſacrificia ſpiritualia Euchariſtica Deo voventur.

§. 18.

Deo conſecrata fuiſſe *corda* animalium in *holocauſtis* typicis, indubium eſt. Probat hoc 1) vox ὁλοκαυτώματος, quae occurrit Marc. XII. 33. Hebr. X. 6. 8. & probat *totum animal aſcendiſſe ſurſum*, ut nomen Hebraeum עלה monet. 2) Idem conſtat ex *Lege Divina*, quae *exta holocauſtorum* juſſit *ablui*, & *abluta cremari.* Lev. I. 8. 9. Judaeorum *Magiſtri* monent, ſub nomine פדר *cannam gutturis*, & *pulmonis*, & *cor* notari. *Druſius* notat, ſub nomine קרב in ſpecie *cor* deſignari; utraque autem vox occurrit in verbis Legislatoris. 3) Imprimis de oblatione *ſacrificii jugis*, quod *holocauſtum* fuit *publicum*, ita loquuntur *Doctores Miſchnici* in Codice Tamid. Cap. IV. §. 2.. קרע את הלב והוציא את דמו *Findit cor*, *& excludit ejus ſanguinem*. In Tractatu de Sacrificiis *Maimonides* oſtendit Cap. VI. §. 5. quâ ratione *guttur* cum *corde* ad altare delatum fuerit.

§. 19.

Apud *Gentes* quoque Cor ad *ſacrificii integritatem* pertinere credebatur. Ex *corde* victima-

rum *omina* rerum futurarum collegerunt Romani. Ita *mortem* Caesari portendit *cordis* in hostia defectus, teste PLINIO Lib. XI. Cap. XXXVII. Idem confirmat PLUTARCHUS in Caesare, additque causam: *ἐ γὰρ ἂν φύσει γε συςῆναι ζῶον ἀκάρδιον, non enim consistere posse sine corde animal per naturam ipsam.*

§. 20.

In sacrificiis *Hebræorum* aut *corda* animalium *combusta* fuerunt *extra castra*, aut *Sacerdotibus* concessa, aut *offerentibus* relicta. In *piacularibus* sacrificiis, quorum *sanguis Sanctuario* inferendus erat, *combusta omnia*, praeter *ablegmina*, extra castra. Combusta igitur & *corda*, quae non accesserunt ad ablegmina. In illis autem *piacularibus*, quorum *sanguis non intravit Sanctuarium*, & in *sacrificiis* pro *reatu*. Denique & in *Eucharisticis publicis omnia*, praeter ablegmina, cesserunt *Sacerdotibus*, adeoque & *corda* sacrificiorum. Postremò in *Eucharisticis privatis omnia*, præter pectus, armum dextrum, cum crure dextro, quæ Sacerdotum fuit portio, ad *offerentes* redibant, ergo & *corda*. Vid. Levit. IV. VI. VII.

§. 21.

In *omni* autem sacrificiorum *genere*, sive *Deo* consecrata, & in altari consumta, sive *extra* castra combusta, sive *Sacerdotibus* concessa, sive *offerentibus* reddita *corda* animalium alto premuntur *silentio* in Lege Divina, sacrificiorum ordinem constituente, cujus Silentii *causas* indagare, operæ pretium est.

§. 22.

Eò magis mirum videri poteſt hoc cordis offerendi *Silentium*, cùm 1) *cor præcipuum* in animalibus, ſanguinis, in quo poſita eſt eorum vita, receptaculum, cùm 2) partes *ignobiliores* memorentur, ut *renes*, cùm 3) Moſes Scriptor tam *accuratus* in ſacrificiorum conſtitutione enarranda ſatis ſit *prolixus*, cùm denique 4) in *ſacrificiis ſpiritualibus* expreſſis verbis *corda* memorentur Deo *offerenda*. Si reſpondeas, divina mandata ita inculcâſſe *Moſen*, ut acceperat, ſine ullo additamento aut omiſſione: eò magis *Sapientiæ Divinæ* tribuenda eſt cordis præteritio. Rimari ergo licet & decet *cauſas* neglecti in ſacrificiis cordis ſapientiſſimas.

§. 23.

Ut *typica* fuerunt *ſacrificia* Veteris Teſtamenti omnia, ita optimè verſabimur in quærendis & inveniendis hujus *Silentii cauſis* ac *finibus*, ſi *cordis oblationem* in *Antitypo* conſideraverimus.

§. 24.

Typica fuiſſe ſacrificia priſci fœderis, teſtatur & probat Auctor Epiſtolæ ad Hebræos Cap. X. 1. ſeqq. Neque ſacrificiorum & *oneroſorum* & *ſumtuoſorum* inſtitutio conveniret *Sapientiæ Divinæ*, niſi ſubeſſet *ratio typica*. Neque *animalium mortem* poſcit *ſanctitas* Dei, neque illorum *ſanguine* placatur *juſtitia*, neque *cæde* beſtiarum delectatur *bonitas*. Hoc ſæpiſſimè inculcat *Deus ipſe*, Legis cærimonialis Auctor & Interpres, Pſ. XL. 7. 8. L. 8. ſeqq. Jeſ. I. 11. LXVI. 3. Jer. VI. 20. Mich. VI. 7. & imprimis Pſ. LI. 18.

§. 25.

Ut ſola *ratio typica ſacrificiorum* inſtitutionem cum *Divina Sapientia* conciliat, ita ſola *relatio ad ſcopum hunc acceptam Deo* ſacrificiorum oblationem reddidit, nempe *fides* in *Meſſiam*, pro peccatis populi moriturum, & fidei adhærens *gratitudo* in *pœnitentia*, *obedientia* & *amore* demonſtranda. Pſ. L. 5. 14. 23. Nec ſolùm ſacrificiorum inſtitutio, ſed & ordinatio *modi*, *temporis*, *loci* &c. ex *ſcopo* judicanda eſt. Si quæ *ſupervacanea*, ſi quæ *omiſſa* in typi inſtitutione videntur, ea omnia ad *ſcopum* ſacrificiorum referenda ſunt, & ex *convenientia* & *diſſenſu* Typi & Antitypi judicanda.

§. 26.

Sacrificia *piacularia* Chriſti ſacrificium unicum & perfectum, *Euchariſtica* adumbrâſſe ſpiritualia ſacrificia fidelium, conſtat. Medio loco fuerunt *holocauſta* ſimul *Chriſti* & *fidelium* typum gerentia. Omnia hæc ſacrificiorum genera occurrunt ℣.21. hujus Pſalmi. Memoratur enim 1) עולה *Holocauſtum.* 2) כליל *Sacrificium pro peccato* totum igne abſumtum. 3) Adduntur פרים *juvenci* mactati pro *Euchariſticis*, ſive *ſpontaneis*, ſive *votivis*. Etſi enim ex omni ſacrificiorum genere ſumi potuerunt ſacrificia Euchariſtica, præcipui tamen fuerunt *juvenci*.

§. 27.

Quoties igitur in *piacularibus* ſacrificiis extra caſtra *combuſta* fuerunt animalia, & ſimul *corda*, hoc ipſo *cordis impuritas* & *pœna impuritatis* per Chriſtum fidelium loco tolerata deſignabatur.

Animalia enim, *extra castra combusta'*, typos fuisse *Jesu Christi*, extra urbem Hierosolymam patientis, & ipsâ morte peccata fidelium expiantis, testatur Auctor Epistolæ ad Hebræos Cap. XIII. 11. 12:

§. 28.

In *Eucharisticis publicis* & *sacrificiis pro reatu* cùm *corda Sacerdotibus* concessa fuerunt, hoc ipsum inculcavit officium *sinceri amoris proximo* exhibendi, ut in *piacularibus illis*, quorum sanguis Sanctuario inferri non solebat, *corda Sacerdotibus* concessa notârunt *amorem Christi in fideles*, ceu Sacerdotes spirituales. *Utrumque* conjungitur Eph. V. 2. ubi jubemur *ambulare in amore proximi, ut Christus nos amavit, & pro nobis se tradidit.* Hæc est vera ratio & *gratitudinem* demonstrandi, & *conscientiæ tranquillitatem* obtinendi. Prius in *Eucharisticis*, posterius in *sacrificiis pro reatu* adumbratum est. Ita *aliorum* simul promovetur salus, & *nostræ* salutis impetratur certitudo, ex fidei charactere colligenda, qui est *amor* aliorum. Gal. V. 6.

§. 29.

Denique in sacrificiis, in altari planè consumtis, quæ *Holocausta* vocantur, oblata *corda* & *Christum*, spontè se pro peccatis fidelium offerentem, & *fideles* in pœnitentia fidei ac amori junctâ se Deo devoventes commonstrant. Nam *Christus cor* obtulit Patri in *obedientia voluntaria* & spontanea, quam expressit Ps. XL. 8. 9. imprimis in verbis בתוך מעי תורתך *Lex tua*, voluntas de expiandis meo sanguine fidelibus, *est in medio viscerum*, id est, in corde meo.

§. 30.

Fideles ut *Christo* per fidem sunt *juncti*, cum Christo crucifixi, mortui & sepulti, ita vi hujus unionis Deo offerunt *corda fracta* & *contrita*, opposita *fissis*, *ablutis*, & *crematis* animalium cordibus. Corda enim *finduntur* in *pœnitentia*, *abluuntur* in *fide* per JESU Christi sanguinem, *cremantur* per *amorem* igneum. Respicitur *fissio* Ps. XVII. 3. *Cùm exploraveris cor meum, visitaveris de nocte, probaveris me, non invenies; quod cogito, non transgredietur os meum.* Joël. II. 13. *Scindite cor vestrum, non autem vestimenta vestra, & convertimini ad Jehovam DEUM vestrum.* Jer. XI. 20. *O Jehova exercituum, qui judicas justè, qui probas renes & cor, videam ultio- tuam de eis.* *Ablutio* Ps. LI. 12. *Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum firmum renova intra me.* Matth. V. 8. *Beati puri corde, quia illi Deum videbunt.* Jac. IV. 8. *Mundate manus peccatores, & purificate corda, duplices animo.* Ps. XXIV. 3. 4. *Quis ascensurus est in montem Jehovæ, & quis staturus in loco sanctitatis ejus? Innocens manibus, & purus corde.* *Fissio* & *oblatio* in verbis textûs simul occurrit.

§. 31.

Ut per oblationem *renum* notabatur *sinceritas*, ita per *cordis* oblationem *humilitas* & *tristitia* ob miseriæ sensum indicabatur. Ps. LI. 8. *Renum oblatio* ut *integritatis* signum ostenditur. *Aromata*, ex quibus confectus est *suffitus*, *frangi* debuerunt, Exod. XXX. 36. porrò in *fertis* farina, oleum, thus *comminuta* offerebantur. Lev. II. 14. Exod. XXIX. 40. Et in *libamini-*

bus vinum fuit *ſuccus preſſarum uvarum*. Hæc omnia ad *humilitatem* & *triſtitiam* ſalutarem ducunt.

§. 32.

Non tamen hæc *ita* apparuerunt in Typo, *ut* in Antitypo patent. Fatemur, cordis fractionem & contuſionem neceſſariam in ſacrificiis ſpiritualibus *non ſatis clarè*, neque *perfectè* depictam eſſe in *fiſſione* cordis animalium. Hinc *duo* ſimul junguntur *Typi*, alter in animalium *cordibus*, alter in *aromatum contuſione* & *ſuffitûs* oſtenditur. *Imperfectio* typorum non patitur *unâ ſolâ* totum antitypum exactè depingi imagine.

§. 33.

Hæc allegari poteſt *generalis Silentii cauſa*, nempe *major perfectio* antitypi, quàm typi. In ſpecie *cauſæ* hujus Silentii, quo teguntur animalium offerendorum corda, vel ſunt *negativæ*, vel *poſitivæ*. *Negativæ* reſpiciunt *diſſenſum* typi & antitypi, *poſitivæ* verò *conſenſum*; utraſque ſolicitè indicabimus, primò negativas, dein poſitivas.

§. 34.

Silentur igitur corda animalium offerenda. quia Deus animalium *corda non reſpicit*, utpote carentia ratione, voluntate, ſpontaneitate. Hinc *Cæſar*, cùm memoratum antè portentum accepiſſet, dixiſſe fertur: *Καὶ τί παράδοξον, εἰ ἄλογον ζῶον καρδίαν οὐκ ἔχει. Quid mirum, ſi animal, quod ratione caret, & corde careat?* Apud POLYÆNUM Stratag. Lib. VIII. Cap. XXIII. §. 33.

§. 35.

In Antitypo verò corda offeruntur *spontanea*, *sincera*, *humilia*, peccati *dolore* tacta. Ipsi *Gentiles* agnoverunt, sacrificium *cordis* solum Deo placere. Testis est Persius Sat. II.

Compositum jus fasque animo sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto:
Hæc cedò, ut admoveam templis, & farre litabo.

Hinc *Rheæ*, Deæ antiquissimæ & *Matri* Deûm, *cor* sacratum. Vossius de Idol. Lib. II. Cap. 54. putat *cordis sacrationem* factam, quia in *generatione animalium cor præcipuum* & *primum*. Sed in animalibus non est λογικὴ λατρεία, quæ poscitur. Rom. XII. 1. *Cultus cordis ratione præditi*.

§. 36.

Simul igitur sapientissimus Deus indicavit, & *cordium necessariam* esse oblationem, & *cordium brutalium* oblationem *non sufficere*. *Requiri* cordium oblationem, ostendit oblatio cordium brutalium, non tamen *sufficere eandem*, ostendit silentium. Notandum quoque, ideò *pisces* non in Dei altari oblatos, quia *corde* carent, & quia *muti* sunt, quæ sententia est Clariss. Vogetii in Diss. de Natalibus Deo non oblatis.

§. 37.

Succedit *altera* Silentii *causa*, nempe corda fidelium offerenda *in Silentio*. Offeruntur autem Deo corda fidelium *in Silentio*, quia occulta sunt hæc sacrificia, & nemini nota, nisi soli

Deo. *Patebant intestina* hostiarum *Sacerdotibus*, ita *corda* fidelium *Deo*, & *Sacerdoti* illi, qui offert. Hebr. IV. 12. 1. Sam. XVI. 7. *Homo aspicit, quæ sunt præ oculis, & Jehova aspicit, quæ sunt in corde.* Ps. CXXXIX. 23. *Hominibus* neque *licet*, neque *possibile* est, interna expiscari. Jer. XVII. 9.

§. 38.

Deinde quia abest à fidelibus omnis *jactantia*, omne *meritum proprium*, omnis opinio *justitiæ legalis*. Exemplo est *Christus*, qui instar *Holocausti* consumtus est pro Dei gloria, Joh. II. 17. & sine omni *jactantia* fuit. Matth. XII. 19. Hunc sequuntur *fideles*, quorum *laus silet* in Zione, Ps. LXV. 1. qui Deo sacrant *internum cordis hominem*, seu cor, interni hominis emblema, cum mansueto & tranquillo spiritu, cor DEO offerente, quod pretiosum est donum in oculis Dei 1. Petr. III. 4. ἐν παρόδῳ notamus, *incorruptibile spiritûs mansueti* esse per hypallagen mansuetudinem incorruptibilis spiritûs, ut Rom. IX, 31. Apoc. XXI. 24.

§. 39.

Causæ enim nullæ adsunt propriæ gloriæ. *Deus* est, qui *dedit* id, quod *reddimus*, neque sacrificium hoc Deo gratum esse potest, nisi in *solo Christo*. *Cordis renovatio* divinum est beneficium, Ezech. XXXXI. 25. 26. Ps. LI. 12. *DEO* ergo *debetur*, quod *DEUS dedit*. Ut Deus est *causa* prima creationis, *ex quo*, *Redemtionis*, *per quem* omnia sunt, ita quoque *finis* est *ultimus*, *ad quem* omnia. Rom. XI. 36. Nequidem *reddere* licet accepta per *vires proprias*. Nequi-

dem ſperanda benigna redditi *cordis aſſumtio*, niſi in Chriſto. Hic ſupplet defectus, hic ſanctificat dona noſtra. Sine Chriſto neque nobis eſt *facultas* dandi aut reddendi, neque Deo *voluntas* accipiendi. Utramque Chriſtus impetravit *nobis Deum*, *nos Deo* concilians.

§. 40.

Porrò *nova* cauſa Silentii eſt *voluntas ſpontanea* offerentis Chriſti, ut & fidelium. Pſ. XL. 7. 8. *Sacrificio & munere non delectatus es, aures perfodiſti mihi: holocauſtum & oblationem pro peccato non expetiviſti. Tum dixi: Ecce venio: in volumine libri ſcriptum eſt de me.* Pſ. CX. 3. *Populi tui oblationes voluntariæ die copiarum tuarum in decoris locis ſanctitatis inde ab utero futuræ ſunt.* Et Pſ. LI. 14. *Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & ſpiritus voluntarius confirmet me.*

§. 41.

Denique ne ipſi quidem novimus ſatis corda noſtra, unde *timidi* & *humiles* offerimus, quod à Deo explorari & probari deſideramus. *Cor hominis* irregeniti eſt עקב *doloſum*, *fallax*, in *regenito* eſt *affectum*, ut neque quicquam ſibi tribuere, neque benignius de ſe judicare audeat. Jer. XVII. 9. Hinc ſæpè *ab inſciis* offertur cordis ſacrificium in Silentio. Dum de ſuo *tepore* conqueruntur, dum igne cœleſti conflagrare corda optant, hoc ipſo oſtendunt *zelum occultum*, latentes igniculos & corda offerunt.

* * * *
* * *
* *
*

Poris-

PORISMATA PRACTICA.

§. 42.

Summa igitur *cultûs ſpiritualis* eſt, *Deo offerre corda* pro ſacrificio ſpirituali. Hoc eſt, *Deum adorare in ſpiritu* per cultum internum, & *veritate* per cultum ſincerum. Joh. IV. 24.

§. 43.

Si *cor abſit*, totus cultus *Deo* eſt *exoſus*, utpote hypocriticus & illuſorius. *Corda* dare *mundo* & *Satanæ*, Deo *linguam*, *aures*, *oculos*, *manus*, quid aliud eſt, quàm *Domino juſto* negare *præcipuum*, & dare *injuſtis* & perfidis Tyrannis? Id reprehendit *Chriſtus* ex Jeſ. XXIX. 13. Matth. XV. 8. 9. *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat, at cor eorum longè abeſt à me. Fruſtrà autem colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.*

§. 44.

Si verò *cor adſit*, omnia adſunt, quæ cultum divinum *Deo gratum* reddunt in Chriſto. Adeſt enim *ſinceritas*, *ſal*, quo omnia ſacrificia ſpiritualia condiuntur. Marc. IX. 49. Parent menti ſinceræ *membra*, ductum cordis ſequitur *corpus* univerſum. Rom. XII. 1.

§. 45.

Sed tamen *fractum* & *contuſum* ſit *cor*, oportet, id eſt, vera adeſſe debet *humilitas*. Solis enim *humilibus datur gratia* 1. Petr. V. 5. propriis meritis ſuperbientis *Caini non reſpicit Deus ſacrificium*. Gen. IV. 4.

§. 46.

Humilitas illa cordis Deo devoti oſtenditur in *pœnitentia*, *fidé*, *amore*, *patientia*, *gratitudine*. *Pœnitentia* humiliter agnoſcit peccatorum magnitudinem & multitudinem. Luc. VII. 38. *Fides* abnegat humiliter propria merita, & in ſolis Chriſti vulneribus gratiam, juſtitiam & robur quærit. Jeſ. XLV. 24. Phil. III. 9. *Amor* non jactat benefacta, ſed nævos agnoſcit humiliter. Matth. XXV. 37. *Patientia* humiliter tolerat adverſa, quia æterna mala meruit peccatum. 1. Petr. V. 6. *Gratitudo* fatetur nos indignos omnibus Dei beneficiis. Gen. XXXII. 10.

§. 47.

Cohærent omnia hæc ſacrificia ſpiritualia per *ignem* cœleſtem *Spiritûs S.* in *altari* vero & unico *Jeſu Chriſto* conſumenda. In *pœnitentia* conſumitur vetus homo, in *fide* nos Chriſto tradimus, in *amore* Deo & proximo omnia noſtra ſacramus, in *patientia* nos abnegamus, & propriam voluntatem Deo offerimus, in *gratitudine* Deo omnia accepta referimus. Hæc autem non fiunt noſtris viribus, ſed *Spiritûs ſancti* gratiâ, Rom. XII. 11. neque in nobis ipſis Deo placemus, ſed in Chriſto. 1. Petr. II. 5.

§. 48.

Deus hæc ſacrificia *jure ſuo poſcit* vi *creationis* & *redemtionis*. Ita *gloria* Dei manifeſtatur, qui eſt finis *creationis* & *redemtionis*. Deus poſcit, quæ ipſi debentur ut Auctori. Redde, quod debes.

§. 49.

Hujus officii obſervatio cum *fructu* & *utilitate* ſumma offerentium conjuncta eſt. *Placent* hæc Deo, & Deus ſibi placere iſta *declarat* beneficiis & amoris indiciis. Hic *ſenſus* amoris divini cum incredibili *gaudio* conjunctus. Ita *perficitur mens* Deo devota, illuminatur, ſanctificatur, tranquillatur, ſaluti aliorum & gloriæ divinæ aptatur, & in ſpe vitæ æternæ confirmatur.

Σὺν Θεῷ.

EXEMPLUM III.

Act. II. 3.

Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.

Et viſæ ipſis linguæ diviſæ, ut igneæ.

§. 1.

EAdem ferè *linguæ*, quæ *cordis*, in Lege Cærimoniali Hebræorum ratio fuit. Ut *cor*, ita & *lingua* animalium *Deo oblata* fuit, ſed *ſine expreſſa lege*. *Totum holocauſti caput* in altari Deo immolatum fuit, & igne conſumtum, ergo & *capitis partes omnes*, ergo & lingua. Lev. I. 8. In *ſacrificiis pro peccato lingua* cum capite *combuſta* fuit *extra caſtra*, in ſacrificiis pro *reatu*, *Euchariſticis publicis* quoque, eadem ceſſit *Sacerdotibus*, denique in *Euchariſticis privatis offerentis* uſui ſerviit lingua.

§. 2.

Eò majorem meretur attentionem *Silentium* illud, quo *reticetur* id *naturali* in *loco*, quod arduum, & ponderoſum, & *notatu dignum* ipſe *Spiritus ſanctus*, Auctor verbi divini, eſſe judicat in locis Scripturæ S. aliis.

§. 3.

Satis evidentia ſunt verba Jeſaiæ C. VI. 6. 7. ubi *labia Prophetæ* dicuntur *igne ſacro altaris adusta*, *prunam admovente Serapho*. Quid dubitas reſpici *capitis* & *linguæ* immolationem? En *altare*, en *ignem*, en Seraphum *Sacerdotis* munere fungentem! *Labia* quidem, non *lingua*, dicuntur tacta igne. Verùm ſerviunt illa *ſermoni*, ut lingua. Agitur de Jeſaia aptando ad *verbi prædicationem*. Ergo non *ſola labia*, ſed & lingua per ignem Spiritûs ſancti cœleſtem expianda, inflammanda, & divino miniſterio Ut *animalia igni* altaris, ita *ignis* contrà admovetur *creaturis rationalibus*.

§. 4.

Ut *Jeſaiæ lingua Deo* immolata fuit, ita contrà *improborum lingua Satanæ* ſacratur, teſte *Jacobo* C. III. 6. utpote *igne infernali accenſa*. *Ignis ſtygius* opponitur *igni cæleſti*, cœlitùs delapſo. Lev. IX. Ignis *ſerpentis antiqui* igni *ſeraphino*, Jeſ. VI. 7. 8. Hic *ſurſum*, ille *deorſum* tendit. Hic ſervit *regno Dei*; ille *Diaboli*. Hic aptat linguas ad *Dei laudes* & mutua commoda, ille ad *fraudes*, mendacia, convicia, calumnias, quibus offenditur Deus, & aliorum fama & vita periculo objicitur.

§. 5.

Clariſſimum eſt teſtimonium, quod occurrit Hebr. XIII. 15. ubi *ſacrificium laudis* explicatur ut *fructus labiorum*. Reſpicitur vaticinium Hoſ. XIV. 3. quod de Antitypo labiorum brutalium, ſcil. *juvencis labiorum* Deo offerendis in Novo Teſtamento loquitur. Nempe *juvenci labiorum*, h. e. ſacrificia linguæ & labiorum Deo ſacratorum opponuntur *labiis* & *linguæ juvencorum*. Hæc *typica*, illa *antitypica* & ſpiritualia ſunt ſacrificia.

§. 6.

Neque dubitamus eandem *linguæ* & *labiorum* oblationem reſpici Col. IV. 6. ubi *ſermo Chriſtianorum* poſcitur *plenus ſemper gratiâ*, & *ſale conditus*. Sermo ἐν χάριτι eſt *teſtis gratiæ divinæ* in nobis operantis, cujus effectus eſt *gratia ſermonis* perpetua, ſive *cum Deo*, ſive *de Deo*, ſive *ad Deum pro aliis*, ſive *ad alios* de Deo loquamur, ut Deo & proximo *grata* ſint & accepta, quæ loquimur. Ita Deo & proximo *ſacrificamus* linguam. Id tamen fieri non poteſt *ſine ſale*, omnibus *holocauſtis*, & holocauſtorum *partibus*, ergo & capiti, labiis, *linguæ* adſperſo. Vid. Maimonides de Sacrif. C. 6. §. 4. Abeſt enim *adulatio*, abſunt verba *inſulſa* & inficeta. Ut *gratioſa*, benigna, amore plena, ita quoque *efficacia* ſunt verba, ad animos ſalutariter *pungendos*, & adversùs *corruptionem muniendos*. Id enim facit *ſal*, *mordet*, *nauſeam avertit*, & à *putredine defendit*.

§. 7.

Præ aliis attentione noſtrâ dignæ ſunt *igneæ illæ linguæ* in *Apoſtolis* Spiritu ſancto donatis *viſæ* Act. II. 3. quæ evidenter ad *linguas*, *igne ſacro* & *cœleſti* correptas, Deoque *ſacrificatas* ducunt.

§. 8.

Apparet in hac *effuſione Spiritûs S.* copioſiſſima Antitypus *ſacrificii primi Aaronici igne divino* cœlitùs demiſſo, omnesque ſacrificiorum partes conſumente, palàm & publicè *comprobati.* Lev. IX. 24. *Comprobatio* ſacrificii per *ignem cœleſtem* frequentiſſima fuit in Veteri Teſtamento. *Expreſſis verbis* hæc divina approbatio commemoratur in *Abrahami* Gen. XV. 17. *Gideonis* Jud. VI. 21. *Manoae* Jud. XIII. 20. *Eliæ* ſacrificio 1. Reg. XVIII. 23. Obſcuriùs idem contigiſſe in ſacrificiis *Abelis* & *Noachi* indicatur Gen. IV. 4. VIII. 21. Forſan huc quoque referri poteſt ſacrificium *Davidis* 2. Sam. XXIV. fin. omnium autem ſolenniſſima fuit approbatio *ſacrificii Aaronici* coram toto populo facta.

§. 9.

In genere igitur *ſcopus* fuit *delapſi ignis cœleſtis*, ut ſacrificii Aaronici *Antitypus*, *ſacrificium Chriſti*, ut primum, ita & ultimum, unicum & perfectum divino publico & evidentiſſimo teſtimonio *comprobaretur*. Conſpirant *antecedentia* & *conſequentia*. Nam 1) ἐμπυρισμὸν ſacrificii Aaronici *præceſſit benedictio.* Lev. IX. 22. 23. Ita quoque *Chriſtus* paulò poſt promiſſum, ſed ante demiſſum Spiritum ſanctum *benedixit Di-*

ſcipulis Luc. XXIV. 50. 51. 2) Poſt ἐμπυρισμὸν *Nadab* & *Abihu* conſumti ſunt igne eodem cœleſti, ſed vindice inobedientiæ. Lev. X. 1. ſeqq. Ita quoque *Ananias* & *Sapphira* pœnas tulerunt ſimulati Spiritûs ſancti, naturæ impuros impetus pro puriſſimis Spiritûs ſancti motibus venditantes. Act. V. 1. ſeqq.

§. 10.

Patet ergo *convenientia*, nec obſtat *diſſenſus*, quod ibi *ſacrificium*, hìc *Præcones ſacrificii* igne ſacro tanguntur. Verè enim *Chriſti ſacrificium* fuit *comprobatum*. 1) Cùm *Chriſtus in cælum ſublatus eſt* per nubem lucidam *Schechinæ* Antitypum. Nec potuit *conſumi* ſacrificium Θεανθρώπȣ, ſed *ſublatum* eſt ex oculis, ut ſacrificium Aaronicum igne conſumtum *non viſum* fuit poſthac. Clariores typi Chriſti poſt peractum & comprobatum ſacrificium *ſublati in cælum* exſtant Jud. VI. 21. & XIII. 20. qui conferendi cum Lev. IX. 2) Idem verò *ignis ſacer Spiritûs S.* qui coram oculis Apoſtolorum ſacrificium Chriſti confirmavit, *Apoſtolorum* quoque *animos* ac *linguas* incendit, ad ſacrificium Chriſti *prædicandum*, & non *ſe ipſos* tantùm, ſed & quoſque *credentes* ex *Judæis Gentibusque* pro ſacrificio ſpirituali Euchariſtico DEO ac Chriſto offerendos. *Sacerdotes* V. T. non alium *uſum* ignis ſacri habuêre, quàm *externum*, *Sacerdotes* verò N. T. Apoſtoli, fideles omnes, & imprimis V. D. Miniſtri, ignis illius vim quoque ſentiunt *internè*, quem ſacrificiis ſpiritualibus applicare laborant.

§. 11.

In ſpecie ἐμπυρισμὸν ſacrificii Aaronici comitabatur *apparitio Schechinæ*; ita ἐμπυρισμὸν ſacrificii Chriſti *Turba totam implens domum*. Ut *Schechina* ſeu gloria divina fuit *nubes*, ſignum divinæ præſentiæ, ita nubes agitantur *vento*. Nec potuit *progredi* Schechina ad monſtrandam Iſraëlitis viam ſine *aëris motu*, qui *ventus* eſt. Hinc *Spiritus ſanctus*, qui *vento*, *halitui* comparatur, per Schechinam depictus fuit Jeſ. LXIII. 10. Coll. Exod. XV. 24. Hinc in aliis Schechinæ apparitionibus, ut 1. Reg. VIII. 10. Jeſ. VI. Ezech. X. 4. eadem occurrit phraſis, *complere templum* & *domum*, quæ legitur Act. II. 2.

§. 12.

Ignis igitur in Schechina conjunctus cum *nube* emblema eſt *Spiritûs S.* Reſpicitur ad *Schechinam*, Ducem Iſraëlis, Pſ. CXLIII. 10. cùm *Spiritus S.* dicitur *ducere fideles in via plana.* Eodem ducit Chriſtus pollicitus *Spiritum veritatis*, *ducentem in omnem veritatem.* Joh. XVI. 13. Schechina autem *ignem* & *nubem* offert oculis.

§. 13.

Ipſe Chriſtus promittit Spiritum S. ſub *ignis imagine* effundendum, dum confirmat vaticinium Johannis Baptiſtæ. Act. I. 4. 5. coll. Matth. III. 11. Diſtinguunt multi *Baptiſmum flaminis* & *ignis*, ſed ſine cauſa. *Implementum* probat promitti Spiritum *ſub imagine ignis* mittendum. Quod autem de *Baptiſmo ignis*, oppoſito *Baptiſmo aquæ*, loquitur *Johannes*, id conferri poteſt cum Apoſtoli *Pauli* verbis, qui aſſerit, *Iſ-*

raëlem priſcum baptizatum fuiſſe *per nubem* capiti impendentem 1. Cor. X. 2. Iſraël Novi Teſtamenti contrà non *ſolâ aquâ*, nubis aquoſæ rore, ſed *igne* baptizatur, qui cum nube conjunctus erat, ad obedientiam non *Moſi* promittendam, ſed *Chriſto*.

§. 14.

Aptiſſimum eſt Emblema *ignis* ad Spiritum S. deſignandum, ſive ignis *naturam* & *attributa*, ſive *effectum* & *uſum* ſpectemus. α) *Natura ignis* eſt *ſubtiliſſima* & *puriſſima*, *ſubtilitatem* exprimit nomen *Spiritus*, *puritatem* cognomen *ſancti*. β) *Attributa ignis* ſunt *motus* & *celeritas*, motus quoque celerrimus eſt Spiritûs S. *Neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia*. γ) *Effecta* ſunt 1) *Illuminatio* Eph. I. 17. 2) *Sanctificatio* ſeu *purgatio* Jeſ. IV. 4. 3) *Fæcundatio* Gal. V. 22. 4) *Terrefactio* impiorum Jeſ. LXIII. 10. 5) *Conſumtio* eorundem Exod. XIV. 24. 25. 6) Imprimis *zelus igneus amoris* Rom. XII. 11. Denique 7) conatus *aſcendendi* perpetuus. Col. III. 1.

§. 15.

Præcipuè ignis *conſumens ſacrificia* imago fuit *Spiritus ſancti* ſuaviſſima, quoad *originem*, *cauſam*, *effecta* & *adjuncta*. Probavimus ante *Schechinam*, unde demiſſus fuit ignis, *Spiritus ſancti* fuiſſe typum. Addimus 1. Theſſ. V. 19. ubi *Spiritus S.* non *exſtinguendus* reſpicit *ignem cæleſtem* & *ſacrum in altari*. Lev. VI. 13.

Origo ignis illius, qui consumsit sacrificium Aaronicum, fuit *cœlestis*, ut illius, qui in Apostolos descendit. Lev. IX. 24. Act. II. 2. 3. *Pater cœlestis* est, qui mittit Joh. XIV. 16. XV. 26. *Christus* ad cœlestem gloriam *evectus* Joh. XVI. 7. Pater in Filio, Filius à Patre mittit donum hoc cœleste. *Purissimus* est *ignis cœlestis*, qui opponitur *igni impuro* & *stygio*. Apoc. XIX. 20.

§. 17.

Causa ignis illius delapsi fuit *sacrificium Aaronicum*, ut *causa* ignei *Spiritus* cœlitus demissi est *sacrificium Christi*. Meruit suâ morte Spiritum Christus, unde *Spiritus Christi* vocatur Rom. VIII. 9. Gal. IV. 6. Hinc *Christo* Auctori Johannes Baptista acceptum fert *Baptismum ignis* & *spiritus*, seu ignei Spiritûs Matth. III. 11. In Christi sanguine reconciliatus cum peccatore Deus dat *vitam spiritualem* & *halitum* Spiritûs S. & omnia. Rom. VIII. 32.

§. 18.

Effectus ignis fuit *incensio* sacrificii Aaronici, non solùm sacrificii *pro peccato* populi, sed etiam *Eucharistici* & *ferti*, ut *Spiritus sancti* non solùm *Christum*, sed & *Apostolos* & *fideles* omnes igneo *inflammat* zelo pro divina gloria & salute hominum. Sacrificium *pro peccato* typus fuit *sacrificii Christi*, pro Apostolis & populo oblati, at *Eucharisticum* & *fertum* typus *sacrificiorum spiritualium*. Ergo *eodem zelo*, quo Christus se obtulit pro nobis Patri, *fideles* quoque se offerunt, cujus zeli Auctor est *Spiritus S.* Rom. XII. 11. Joh. II. 17. Rom. VIII. 11. 1. Cor. VI.

17. In ſpecie *hoc zelo* Spiritûs S. incenſa fuerunt *Apoſtolorum corda* & *linguæ*, ut cùm *ardore* Evangelium *prædicarent*, *ſalutem* omnium optarent, & ſe lubentiſſimè *ſacrificari* paterentur pro Eccleſiæ ſalute. 2. Cor. XI. 2. Act. XVII. 16. Phil. II. 17.

§. 19.

Adjuncta ignis cœlitùs delapſi varia fuerunt, quæ omnia in Antitypo, Spiritu S. apparent. Adjunctum *primum* eſt 1) *Conſtantia*, ut ignis ſacer *perpetuò ali* debuit, ita quoque *Spiritus S. dona* 1. Theſſ. V. 19. Coll. Lev. VI. 13. addendus fomes, avertenda nocumenta, quæ ignem exſtinguunt. 2) *Alterum* adjunctum eſt *ſanctitas* & *puritas*, ut non patiatur *ignem peregrinum* Lev. X. 1. ut poſcat *Sacerdotes ſanctos* & ſancta ſacrificia. Rom. XII. 1. 3) *Tertium* eſt vinculum perpetuum cum *altari* tam holocauſti, quàm ſuffitûs. Ita quoque ſacrificia ſpiritualia non poſſunt offerri per ignem Spiritûs ſancti, niſi *in Chriſto*. 1. Petr. II. 5. Hebr. XIII. 10. Apoc. VIII. 3.

§. 20.

Hæc omnia ſingulari planè modo ad *Apoſtolorum linguas* applicari poſſunt & debent. Facilè patet *cauſa*, cur *linguæ igneæ* viſæ in vertice Apoſtolorum ſacrificandas Deo *linguas* indicaverint. Nam 1) *ſcopus* Apoſtolatûs eſt *prædicatio* Evangelii. Act. X. 41. Hinc 2) datum eſt *donum linguarum*. Act. II. 4. Et Gentes 3) *linguam* ſacram eſſe voluerunt *Mercurio*, eloquentiæ Deo, quem apparuiſſe in *Paulo* credebant

Lyſtrenſes Act. XIV. 3. Ergo 4) ut *Jeſaiæ* Prophetæ *labia*, ita *Apoſtolorum* linguæ igne Spiritûs S. flagrârunt, Deo & Chriſto in Evangelii præconio conſecrandæ.

§. 21.

Spiritus enim ſanctus, corda & linguas Apoſtolorum inflammans, *donum* fuit *conſtans*. Id promittit *Chriſtus* Joh. XIV. 16. *Spiritum ſanctum manſurum apud Apoſtolos in ſeculum. Conſtantes* etiam fuerunt Spiritûs S. *operationes* in Apoſtolis, conſtans *zelus* igneus, conſtans *fides*, conſtans *amor*, conſtans παῤῥησία, conſtans *lux* & *ſanctitas* uſque ad mortem. Teſtis ſit præ aliis *Stephanus* eodem, quo Apoſtoli, Spiritu S. donatus. Act. VI. & VII.

§. 22.

Deinde in Apoſtolis quoque conſervata eſt ignis cœleſtis ab *alieno igne ſeparatio* ſollicita. Exemplo ſit *Ananias* cum uxore *Sapphira* Act. V. & *Simon* Act. VIII. quàm ſollicitè caverint Apoſtoli, ne *ignis peregrinus* pro igne cœleſti venditaretur.

§. 23.

Denique, quicquid per ignem cœleſtem offerebant Deo Apoſtoli, ſe ipſos, & eos, quos ope Evangelii adducebant ad Deum, id in altari unico *Jeſu Chriſto* offerebant. Ita Paulus 2. Cor. II. 17. teſtatur Apoſtolorum omnium nomine, *ſe non* καπηλεύειν τὸν λόγον *verbum humanum pro Divino venditantes*, ignem peregrinum pro ſacro aliis obtrudentes, loqui & prædicare *Evangelium ſincerum ex Deo*, ut Auctore,

coram Deo, ut teste, *in Christo*, ut fundamento totius Evangelii. Ita *Petrus* omnium nomine petit donum παῤῥησίας & miraculorum *in nomine Christi* Act. IV. 29. 30. vi *promissionis* Joh. XVI. 24. Eph. V. 20.

§. 24.

Eadem tamen apparent in *fidelibus omnibus*, quorum officium est per ignem Spiritûs S. cœlestem incensas *offerre Deo linguas in Christo*, in *pœnitentia*, *fide*, *obedientia*, *amore*, *gratiarum actione*. Fideles offerunt Deo *linguas*, 1) in *genere*, eas, ut Dei donum, *divino honori* sacrantes, ut Creatoris & Redemtoris honorem *sermone* & *silentio*, *precibus* & *hymnis* celebrent. Eph. V. 19. 2) In *specie* offerunt *linguas* in *pœnitentia*, sive silentium *pudoris* & *tristitiæ* notam servantes, sive *peccata confitentes* Ps. XXXVIII. 14. 15. LI. 5. 6. in *fide gloriantes in Deo* per JEsum Christum 2. Cor. IV. 13. Rom. V. 3. in *obedientia Deo vias* non carpentes, sed *adorantes* in *silentio*, & *admirantes sermone* Ps. XXXIX. 2. 3. XL. 6. in *amore* alios *instituentes*, *hortantes*, *solantes* & *roborantes* 1. Thess. V. 14. in *gratiarum actione* Dei *magnalia* celebrantes. Psal. XXXIV. 2. Hæc omnia *præfigurata* fuerunt, *pœnitentia* in *crematione linguæ extra castra*, *fides* & *obedientia* in *crematione linguæ in altari*, *amor* in lingua *Sacerdotibus* concessa. *Illud* in *sacrificiis pro peccato*, istud in *holocaustis*, hoc in *sacrificiis pro reatu* obtinuit.

§. 25.

Hæc officia omnia non debent esse *languida*, sed *fervida* & *flagrantia* accensa per ignem Spiritûs sancti. Fideles sunt ζέοντες τῷ πνεύματι Rom. XII. 11. *fervidi quoad Spiritum*, & *per Spiritum*. *Quoad Spiritum* in toto *cultu* divino *interno* & *externo*. In *pœnitentia fervidum* esse debet *peccati odium*, *fervens* pietatis & *virtutis amor*, in *fervens Christi desiderium*, in *amore fervens studium* promovendi commoda proximi, in *DEO amando* & *celebrando* requiritur *fervor*, languori oppositus. Apoc. III. 15. 16. *Per Spiritum* hæc præstantur Eph. V. 22.

§. 26.

Neque *ventus*, qui ignem comitabatur in effusione Spiritûs S. hunc *ignem exstinguit*, sed potiùs *auget*. *Ventus* ignem comitatur 1) ut constaret Antitypus *Schechinæ*, ut antea diximus. 2) Ut depingeretur *ignis temperamentum* per Spiritum *Consolatorem*. 3) *Augmentum*. Ignis *nutritur* & *augetur vento*. Sed tamen & simul *refocillat ventus* æstu exhaustos. *Prius* dicitur ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα 2. Tim. I. 16. *Posterius* continetur in nomine παρακλήτȣ, quod Spiritui sancto datur. Act. III. 19. Cant. VIII. 5. 4) Ut *ignis hostium pœnas*, *ventus fidelium solatia* depingeret, vid. Hebr. XII. 29. ita ignis *Sodomam* & *Gomorrham* exussit; *ventus* verò *diluvii aquas consiccavit*, & *maris rubri undas continuit*, ut sicco pede transire Israëlitæ potuerint.

§. 27.

Cùm igitur *linguarum oblatio* tam *evidenter* appareat in *Antitypo*, rationes sapientissimæ ad-

ſint oportet, ob quas *oblatio linguarum*, in *Typo* facta, non *expreſſa* fuerit diſertis verbis. Relationes illæ inveniuntur partim in *convenientia typi* cum antitypo, partim in *diſſenſu*. Omne enim *ſimile* eſt *diſſimile*. Nullus typorum tam exactè expreſſit antitypum, ut non aliqua reperiatur *diſſimilitudo*, imprimis quia perfectior eſt ſemper antitypus, perfectior eſt *εἰκὼν*, quàm *σκιὰ* rudis delineatio. Hebr. X. 1.

§. 28.

Reticetur autem linguæ in ſacrificiis brutalibus oblatio, quæ *animalibus uſum linguæ rationalem* non conceſſit ſapientiſſimus rerum Opifex. Quid enim *lingua* ſine *ſermone? Oblatio linguæ* in ſacrificiis notavit *ſermonem*, divino honori dicandum. Nunc autem *ζῶα* ſunt *ἄλογα ratione* & *oratione deſtituta* 2. Petr. II. 2. Ergo *DEO placere* oblatio linguarum brutalium *per ſe* nequit.

§. 29.

Imprimis 1) in ſacrificiis pro peccato animalia *peccata* offerentium *ſuſcipere*, aut *ſolutionem promittere* non potuerunt, non *prius*, quia *ratione*, non *poſterius*, quia ſermone carent. 2) In Euchariſticis divina beneficia *enarrari* & *celebrari* non potuerunt per linguas Deo quidem ſacratas, ſed *loqui neſcias*. Patet ergo cauſa, ob quam linguas animalium *per contemtum prætèriverit* in ſacrificiorum conſtitutione ſapientiſſimus Legislator. Fateor, *animalia ipſa* etiam *per ſe* non placebant, ſed tamen *ſileri non poterant*, quia *inſtituere ſacrificia* Deus decrevit ty-

pica. Quod ergo dici necessariò *debuit*, id dixit, quod *sileri potuit*, siluit Legislator.

§. 30.

Alia planè natura est *Antitypi*, & Christi, & fidelium. Nam 1) *Christus* imprimis *linguam* Patri obtulit Ps. XL. 10. tum *divinam gloriam manifestando* hominibus, tum *propositum Dei* de salute hominum *declarando* Job. XXXIII. 24. Ps. XXII. 23. Joh. I. 18. *Prius* in relatione ad Deum per oblationem linguæ in *holocaustis*, *posterius* respectu hominum per linguam *Sacerdotum* usui concessam in *Eucharisticis* adumbratum fuit. Imprimis Christus *linguæ humanæ crimina* expiavit, ut Antitypus sacrificiorum piacularium, dum lingua ipsius *sitim* tulit in cruce flagrantissimam. Deinde 2) in *fidelium* sacrificiis spiritualibus præcipuè requiritur *linguæ consecratio*, ut unicè divino honori & saluti hominum serviat tum *sermone*, tum *silentio*. *Silet turpia*, *stulta*, *humilia*, *indecora*, & *laudat Deum cum gratiarum actione* Eph. V. 4. *Silet carmina Bacchica*, & *Deum celebrat Psalmis* per instrumenta, *hymnis* per vocem, *cantu* per vocem & instrumenta, ut *grates* pro divinis beneficiis *ferat Deo omni tempore & pro omnibus*, pro se & aliis. Eph. V. 18. 19. 20. *Silet turpia*, *profert* autem *utilia* ad *necessariam ædificationem*. Eph. IV. 29.

§. 31.

Deinde ideò quoque reticetur lingua offerenda in typo, ut ipso hoc silentio insinuetur *modus offerendi* linguam in antitypo. Hic *modus* offerendi linguam duplex est, 1) in *Silentio*. Ut enim

enim lingua ignibus altaris *confumta* fuit, ita quoque malumus linguâ *carere*, quàm DEUM offendere, vel fermone impuro, vel verbis impatientiam teftantibus. Eodem modo *linguam* refcindimus per abnegationem, quo *oculum* eruimus, *manum* refecamus aut *pedem*. Matth. V. 29. feqq. 2) In *fermone*. Ut enim DEO facrabatur *integrum* facrificium, & fimul *lingua*, ita quoque omnis *linguæ* ac *membrorum* ufus ad celebrandum Creatorem & Redemtorem comparatus fit, oportet. 1. Cor. VI. 19. 20. Vitatur abufus, fervatur ufus.

§. 32.

Præivit *Chriftus voce* & *exemplo*. *Voce* vitandum effe *linguæ abufum*, & *verborum otioforum reddendam effe rationem* docuit Matth. XII. 36. Exemplo præivit in veneranda cum *filentio Patris*, crucem imponentis, *voluntate* Jef. LIII. 7. & ferendis hoftium *tacita* cum *manfuetudine* injuriis. Matth. XXVII. 14. Sequuntur ejus veftigia *Chriftiani* in *patienti* & *manfueto* filentio obfervando. Pf. XXXVII. 7. XXXIX. 10. 1. Petr. II. 20. feqq.

§. 33.

Non tamen fufficit filentium ad linguam Deo confecrandam, fed requiritur etiam *rectus linguæ ufus*, qui cum *Silentio* conjunctus eft, qui eft à *Spiritu S.* fub imagine *linguarum* effufo in Apoftolos. Hanc gratiam promittit *Chriftus* Matth. X. 10. 20. In *Silentio* ergo offertur Deo lingua: 1) Cùm *non ipfi* loquimur, fed *Spiritus S.* in nobis, cujus gratia humili prece petenda,

M

& humili obſequio exſpectanda. 2) Cùm, quæ loquimur, ſine *ullo ſtrepitu* aut *jactantia* proferimus, ut *Chriſtus* præivit Matth. XII. 19. 3) Cùm *nos ipſos abnegamus*, & DEO omnem gloriam damus in Silentio. Pſ. LXV. 2. 4) Cùm *iis ſolis loquimur*, quibus conveniunt divinæ promiſſiones, *cæteris ſilemus*, quibus non debentur illi margaritæ. Matth. VII. 6. Ita *non ipſi, non nobis, non iis*, quibus ſilendum, loquimur, & Silentio typico ſatisfacimus.

Porismata Practica.

§. 34.

Confirmat *Fidem* & *Religionem* Chriſtianam effuſio Spiritûs S. ſub ignis imagine. Confirmatur 1) *Veritas Scripturæ S.* per conſenſum Veteris & Novi Teſtamenti per *Harmoniam* Verbi Divini. 2) *Chriſti Divinitas*, qui *promiſit* & *dedit*, non ſolum *quod*, ſed & *quomodo* promiſit. 3) *Miſſio Divina Apoſtolorum*, quæ miraculo hoc, viſibili ſigno, publico teſtimonio roborata eſt. 4) *Veritas Doctrinæ Apoſtolicæ*. 5) *Sufficientia Sacrificii expiatorii* veri & unici, quod *Chriſtus* Patri *obtulit*, quod *Pater* igne cœleſti *confirmavit*.

§. 35.

Sed quid prodeſt Chriſtianæ Religionis veritas, niſi pateat cuique noſtrûm *veritas fidei propriæ*. Niſi ipſe ſis *verè Chriſtianus*, non proderit *Chriſtianiſmi veritas*. Nemo autem *Chriſtianus* fit per *fidem hiſtoricam*, quæ agnoſcit veritatem Scripturæ ſacræ, ſed per *fidem* ſalvifi-

cam, quæ unit cum Chriſto corda, & dono Spiritûs S. ornat.

§. 36.

Non aderit *fides vera*, niſi adſit *Spiritus S. fidei Auctor*, & adeſſe agnoſcatur ex *operationibus*. Nam Spiritus S. eſt *Auctor fidei* Gal. V. 22. 2. Cor. IV. 13. ſine Spiritûs igitur ſalutari dono abeſt *ſpes ſalutis*. Rom. VIII. 9.

§. 37.

Imprimis *operationes Spiritûs S.* apparent in recto *linguæ uſu*, quo Deus celebratur, & Eccleſiæ ſimul ac propria ſalus promovetur. Hinc *duo* illa junguntur *plenum eſſe Spiritu*, & *loqui* inter ſe ad Dei gloriam. Eph. V. 18. 19.

§. 38.

Per naturam *inepta eſt lingua* ad ſcopum creantis attingendum, quod à lapſu derivandum, & cum dolore *agnoſcendum* eſt in *pœnitentia*. *Eva* peccavit per abuſum linguæ, & colloquium cum Satana, tulitque *pœnam peccato ſimilem*, cùm Satanas *igne* impuro & *infernali* linguam hominum aduſſit, & *igne iræ divinæ* æterno dignam reddidit, niſi igne Spiritûs S. luſtretur. Jac. III. 6. Luc. XVI. 24.

§. 39.

Meruit Chriſtus linguæ renovationem, & abuſum linguæ humanæ expiavit *patienti ſilentio*, & *ſiti torquente* linguam, quæ merita Chriſti per *fidem* amplectenda. Chriſti *duplex* eſt obedientia, *activa* & *paſſiva*, per *illam* & *Legi ſatisfecit* per rectum *uſum* linguæ, & *meruit* eundem nobis, per *hanc pœnas* abuſûs *tulit*, & à fidelibus

removit. Meruit Christus *Spiritum* Renovatorem.

§. 40.

Renovati per *Spiritum S.* quem Christus suâ morte, suo sacrificio expiatorio meruit; linguas Deo sacrant & devovent ad ejus honorem in propria & aliorum salute celebrandum, sive sermone, sive silentio. Faciunt hoc *in Christo* per *Spiritum S.* *Christus* est *Altare*, cujus merito nituntur sacrificia spiritualia, *Spiritus S.* est *ignis sacer*, quo consumuntur sacrificia.

§. 41.

Id faciunt in *pœnitentia*, peccata confitendo, in *fide*, Christum profitendo, in *gratitudine*, Dei beneficia in Christo celebrando, in *amore*, alios docendo, monendo &c.

§. 42.

Faciunt id cum *ardore* & *promtitudine*, faciunt id *sincerè* & *constanter*. Ignis *celerrimè* movetur & movet, ignis *purgat*, & *alta petit*, ignis Spiritûs S. cœlestis est ἄσβεστος in se, vi gratiæ.

§. 43.

Ita si incipient in his terris Deum celebrare, quod vi *creationis* & *redemtionis* officium est *fidelium* omnium, imprimis *Verbi Divini Ministrorum*, *æternùm* in divinis laudibus *fervebunt* linguæ.

* * * * *

Σὺν Θεῷ.

EXEMPLUM IV.

Apoc. XXI. 23.

Καὶ ὁ λύχνος αὐτῆς τὸ ἀρνίον.

Et Lucerna illius (Hierosolymæ) *Agnus.*

§. 1.

SUbjungimus denique exemplum Silentii Scripturæ, quod subministrat *Johannes* ὁ Ἀποκαλύπτης Apoc. XXI. 23. ubi *Hierosolymæ cœlestis Lucerna dicitur Agnus.* Non *patet* tamen primo statim adspectui hoc silentium, nisi *phrasis* & *similitudo* priùs enodetur. Hinc primò indagabimus *phraseos originem* & *fontem similitudinis*, deinde ipsum *Silentium*, ejusque *causas* indicabimus.

§. 2.

Christus *Leoni* rugienti opponitur ut *Agnus Principi tenebrarum* Auctor *lucis*, *throno Satanæ Hierosolyma cœlestis*, purissimâ luce nitens. *Agnus* vocatur Christus titulo dulcissimo Johanni Apostolo & Evangelistæ. Idem *octies* & *vigesies* in uno Apocalypseos libro repetitur. Quid enim dulcius *patientiâ*, *integritate*, *mansuetudine*, *puritate*, & *utilitate* illâ, quam *Agni* nomen in Servatore optimo commonstrat? Patientissimum in *morte*, integerrimum in *vita*, mansuetissium in *passionibus*, purissimum in *actionibus* Christum meritò in deliciis habemus, quia per *obedientiam* activam & passivam *totus* nostræ servit saluti, ad *carne* cibandos, *sanguine* redimendos & purgandos, *pelle* vestiendos fa-

melicos, captivos, immundos, & nudos, ut verè *totus* quantus quantus amore & *desiderio* sit dignissimus. Cant. V. 16.

§. 3.

Quoties Johannes Apocalyptes Christi meminit, ut *Agni*, toties *sacrificium* Christi piaculare commonstrat, in quo omnis salutis cardo vertitur. Hinc *mactatus* dicitur Agnus Cap. IV. 12. V. 6. 9. 12. VII. 14. hinc *stare in monte*, *sedere in throno* dicitur, quoniam in *monte sancto* oblata fuerunt sacrificia, & *versùs thronum Dei* in Propitiatorio sparsus fuit sacrificiorum sanguis. Cap. XIV. 4. XXII. 1.

§. 4.

Agnus enim sacrificiorum fuit *antiquissimum*. *Agnorum* mactatorum & oblatorum *pellibus* vestitos fuisse Protoplastos, piè credimus Gen. III. 21. ut obsignaretur restauratio *imaginis divinæ* per Christum. Eph. IV. 24. Rom. XIII. 14. *Idem* sacrificium obtulisse *Abel* meritò putatur Gen. IV. 4. ut adumbraretur *Agnus in typo mactatus* inde *à mundi prima origine*. Apoc. XIII. 8.

§. 5.

Nec ullum sacrificium fuit *frequentius* Agno. *Quotidie bini Agni*, alter mane, alter vespere, oblati fuerunt, *plures* in *Sabbato* & *festis*. In *Festo Expiationis* ex animalibus quindecim oblatis novem fuerunt *agni*. *Agnus* sacrificiorum fuit *primum* & *ultimum*, ut moneremur, *Christum* crucifixum esse, *α* & *ω* in cognitione, *primum* & *ultimum* in amore, *initium* & *finem* salu-

tis. Apoc. XXII. 13. Christum semper *eundem* esse in seculi *initio* & *fine*. Hebr. XIII. 8.

§. 6.

Lux est Agnus Jes. XLIX. 6. Joh. I. 9. & *Lucerna* Ps. CXXXII. 17. non tantùm ob *præstantiam*, *dignitatem* & *celebritatem*, ut HOMERO *Telemachus* dicitur γλυκερὸν φάος Odyss. XVII. ℣. 43. ut *Æneas* VIRGILIO Lux Dardaniæ Lib. II. ℣. 281. ut CICERONI *Roma* Lux orbis vocatur Orat. IV. in Cat. Cap. VI. ut Græcis viri *celebres* φῶτες, ut Judæis homo *laude dignus* נר ישראל vocatur, sed imprimis, quia ut ipse *luce sapientiæ*, *sanctitatis* & *gloriæ* fulget, ita omnis sapientiæ, sanctitatis & gloriæ *causa* est in *fidelibus* & *efficiens*, & *meritoria*, & *exemplaris*. Eph. V. 8. 14. 2. Cor. IV. 4. 6. Col. III. 10.

§. 7.

Quid mirum, Christum vocari *Lucernam*, qui *Lux mundi* aliàs vocatur Joh. I. 5. & *Lux vera* Joh. I. 9. *opposita* illi *luci typicæ*, quæ in prima fulsit creatione, qui *astrum* & *sceptrum* dicitur, *astrum* ut *Propheta*, *sceptrum* ut *Rex* Num. XXIV. 17. qui *sideris* instar lucet in *nocte adversitatum*, *regit cursum* per vastum vitæ æquor, & *cœlum ornat* Ecclesiæ, qui appellatur φωσφόρος Lucifer, *stella lucida* & *matutina*, quia omnium purissimum est, & maculis liberatum astrum illud, quod φωσφόρος est Ægyptiis, nobis stella matutina 2. Petr. I. 19. Apoc. XXII. 16. qui denique *Sol justitiæ* est, id est, Sol perfectus, æternus, constans, semper præsens, semper jucundus & utilis, causa lucis, caloris,

vitæ, fœcunditatis, sanitatis &c. Malach. IV. 2.

§. 8.

Quid mirum, illum vocari *Lucernam*, qui adumbratus est in Veteri Testamento per *ignem sacrum*, in altari holocausti lucentem in *atrio*, quia sacrificium Christi Spiritus S. lucem meruit. Conf. Act. II. 2. cum Levit. IX. Ut in sacrificium Aaronicum delapsus est ignis cœlestis, ita in Christi sacrificium Spiritus S. ignem referens. Idem Christus in *Sancto* apparuit in Typo *Lychnuchi aurei*. *Septem* fuêre hujus candelabri rami, *medius Christum* fontem olei sacri, donorum Spiritûs, causam lucis salutaris, *reliqui Doctores* ad Christum respicientes, ex Christo Spiritum, lucem, vitam, & omnia trahentes repræsentant. Apoc. I. 12. Idem denique in *Sancto Sanctorum* delineatus fuit per *ignem* & *lucem Schechinæ*, quia *habitat* Divinitas in humanitate, ὁ θεάνθρωπος in Ecclesia, eamque *splendore* Verbi & Spiritûs, *fulgore* Majestatis, gratiæ & gloriæ complet. Joh. I. 14. Ps. LXXX. 2. Jes. VI. 1. coll. Joh. XII. 39.

§. 9.

Verùm hoc mirum videri potest, quod *Agnus* dicitur *Lux* seu *Lucerna*, & quidem *Lucerna Hierosolymæ* cœlestis. Dubium & obscurum apparet *vinculum* inter *Agnum* & *Lucernam*, inter *Subjectum* & *Prædicatum*. Quid cum *Agno* commune habet *Lux*, quid *Astrum*, quid *Sol*, quid *Ignis* sacer, quid *Candelabrum* aureum, quid *Schechina?* Non licet in hujusmodi argumentis certitudinem mathematicam sectari,

Non licet vinculum Subjecti & Prædicati ita demonſtrare, ut argumentis immotis nexûs hujus probetur origo. Sed tamen licet probabilem & veroſimilem allegare cauſam, ob quam *Agnus Lucerna Hieroſolymæ* vocatur.

§. 10.

Videmus inveniſſe in *Agno jugi veſpertino* Agnum Lucernam Hieroſolymæ. Nam

1. Agnus veſpertinus incenſus in altari igne ſacro *arſit* & *fulſit*, ut λύχνος lucerna.
2. Agnus ille *Typus Chriſti* fuit Joh. I. 29.
3. Fulſit in *Urbe Hieroſolyma* Typus, ut Antitypus *Eccleſiæ*, *Hieroſolymæ ſpirituali*, lucem Evangelii, Spiritus S. lucem cognitionis, gratiæ, gaudii & gloriæ largitur ſuo ſanguine & morte parata munera.
4. Agnus veſpertinus *in tenebris luxit*, ut Chriſtus *circa veſperam* crucifixus *mæſtorum* ſolamen eſt unicum.
5. Agnus, ut holocauſta omnia, *totâ nocte* arſit & fulſit. Levit. VI. 9. Vid. MAIMONIDES de Sacrif. Cap. IV. §. 2. & de Sacrificio jugi Cap. I. §. 5. Chriſtus perpetuum eſt piorum gaudium in *omni* & *tota adverſitatum caligine*. Mich. VII. 8.
6. Hinc jungitur δόξα & λύχνος, quia δόξα כבור gloria Jehovæ, *Schechina* fulſit in *adyto* eodem tempore, dies noctesque, quo incenſum holocauſtum *Agni jugis* luxit in *atrio*.

§. 11.

Olim variis *animalium* ſymbolis civitates diſtinguebantur. *Aquila* Tyri, Sidonis, Agri-

genti, Epiri, *Leo* Massiliæ, Lugduni, Smyrnæ, Sardium, *Cervus* Ephesi, *Noctua* Athenarum, *Aper* Ætoliæ, *Ovis* Alexandriæ fuit symbolum. Hierosolyma cœlestis *Agnum* habet, quo gaudet, quo gloriatur, quo distinguitur à civitate Satanæ, cujus symbolum est *Draco*. Apoc. XIII. 1. 4.

§. 12.

Multorum populorum olim *Deus tutelaris* fuit *Sol*, ut Phœniciorum, Ammonitarum, Babyloniorum, Tyriorum, Deli &c. Contrà Christus, qui Lux, qui Phosphorus, qui *Sol justitiæ* est, *tutela* est Hierosolymæ spiritualis. Illorum tutela erat creatura, Civium Hierosolymitanorum tutela est Creator. *Sol* illis fuit pro *tutela*, his Dei Filius, *Defensor* fidus & potens, pro *Sole*, pro luce est.

§. 13.

Postquam originem phraseos, fontem similitudinis, nexum subjecti & prædicati deteximus, facile nunc erit, *Silentium* ejusque *causas* invenire. Silentium apparet *typicum*, quando in Antitypo apparet, quod non memoratur in Typo, ad illius perfectionem, hujus autem imperfectionem indicandam.

§. 14.

Nulli dubitamus, quin *totâ nocte* in altari *fulserit Agnus vespertinus* ad auroram usque. *Holocausta* enim fuerunt Agni illi bini, quotidie mane & vespere immolandi, Exod. XXIX. 38. Holocausta autem per *totam noctem* inexstincto igne *ardere* & *fulgere* debuerunt. Levit. VI. 9.

Ergo & ſacrificium juge nocte totâ lucem dedit perpetuam. Etſi conſumtum fuiſſet ſacrificium, non tamen exſtinctus fuit *ignis* ille, qui conſumſerat.

§. 15.

Res igitur *ipſa* extra omne dubium poſita eſt, & tamen jubetur tantùm in genere *holocauſtorum* per omnem noctem crematio, non autem præcipitur ſacrificii jugis, *Agni veſpertini* per noctem totam continuus ardor & fulgor. In *Antitypo* totidem verbis fulgor mactati Agni totâ nocte manens, id eſt, lux gaudii, ſolatii & gloriæ, in Evangelio promiſſa, per Chriſti mortem parta, per Spiritum ſanctum applicanda civibus Hieroſolymæ ſupernæ *exprimitur.* In *Typo* hæc *ſilentur*. Quæ ratio?

§. 16.

Duplex hujus Silentii ratio eſſe videtur, *negativa* altera, altera *poſitiva*. *Negativa* Silentii ratio eſt, Chriſti inter duas veſperas morientis in cruce curanda ſtatim *ſepultura*. Non potuit, nec debuit *manere* Chriſtus nocte ſequente *eo* in *loco*, in *quo* immolatus fuerat, auferenda erat de terra maledictio per ſepulturam ejus, qui conſummaverat omnia per mortem. Ergo quod *ſiletur* in *Typo*, *non adfuit* in *Antitypo*.

§. 17.

Alio tamen reſpectu, quod in Typo imperfectum fuit, perfectiſſimo modo adfuit Antitypo. Hinc ratio naſcitur Silentii *poſitiva*. Agnus jugis veſpertinus fulſit totâ nocte in altari, ſed *debilis* erat lux, *paucis* videnda, & *parùm* ſolatii allatura videntibus, quia *Agni quoti-*

diani quotidiana erant *monumenta* peccati *nondum expiati*, Meſſiæ *promiſſi* quidem, ſed *nondum exhibiti*. Non merebatur ergo memorari *Lux* tam *imperfecta* in Typo. Contrà in Antitypo *Lux* gaudii & ſolatii eſt *perfecta*, *fulgidiſſima*, *toti* Hieroſolymæ concedenda, *perpetua* & *conſtans*. Hæc ergo commemorari meretur, & laudari, nunquam diſſimulanda, nunquam reticenda.

Porismata Practica.

§. 18.

Agnus & *Hieroſolyma*, Chriſtus & Eccleſia, Caput & Corpus myſticum, Rex & Regnum, Paſtor & Grex, Sponſus & Sponſa, Dominus & Templum ſunt *præcipua* cognitionis ſalutaris & ſinceri amoris objecta, ſi per *Agni lucem* ad *cognitionem* veritatis, per *Agni ignem* ad *zelum* pietatis perveniſti.

§. 19.

Chriſtus ſimul *Deus* eſt & *homo*, qui aſſumſit *humanitatem*, ut *Agni* inſtar pro noſtris peccatis mactari poſſet, ſed tamen manet æternus ille *Deus*, qui mundo *lucem* dedit in *prima*, & *lucem* Eccleſiæ dedit in *nova creatione*. Chriſtus quidem *humiliatus* eſt, ut *Agnus* in cruce mactatus, ſed tamen hâc ipsâ morte ſibi & fidelibus *lucem* meruit *gloriæ*. Luc. XXIV. 26. Chriſtus *lucet* & *ardet*. *Lucet Divinitas* auguſto cœleſtis gloriæ fulgore, *lucet humanitas* ſapientiæ, ſanctitatisque radiis. *Ardet zelo* igneo pro Patris gloria, *ardet* ferventiſſimo in homines *amore*. Joh. I. 14. Apoc. I. 14. Joh. II. 17. Gal. II. 20. Hinc per mortem & vulnera ut Agnus macta-

ctus fidelibus meruit *lucem cognitionis* ad *ſapientiam*, *gaudii* ad *juſtitiam*, *ſanctitatis* ad *ſanctificationem*, *gloriæ* ad plenariam *liberationem*. 1. Cor. I. 30.

§. 20.

Totus Chriſtus Lux eſt. *Omnia* ducunt ad ſapientiam, ſanctitatem, gaudium & gloriam, *nomina*, *naturæ*, *ſtatus*, *munera*, *beneficia*, *merita*. *Solus* Chriſtus Lux eſt. Si totum mundum pererres cum Columba Noachica, ſi omnes opes conſumſeris cum Hæmorrhouſa, nihil veræ lucis dabitur extra Chriſtum.

§. 21.

Quanta hinc *Eccleſiæ* accreſcit *gloria*. Chriſti Lux eſt Eccleſiæ Lux. Agnus eſt Lucerna *Hieroſolymæ*, ſed *interna* eſt Chriſti Lux, & quò interior, eò *ſincerior*, eò *conſtantior* Pſal. XLV. 14. Col. III. 3. Jeſ. LX. 20. olim tamen *clarior* futurâ in *veſperâ mundi*. Zach. XIV. 7. *Soli* Eccleſiæ hæc propria eſt, ſed tamen *omnibus* Eccleſiæ membris communis. Agnus eſt Lucerna Hieroſolymæ *ſolius* & *totius*. In *Ægypto tenebræ*, in *omni Goſen lux*. Exod. X. 22. 23.

§. 22.

Decet ergo Cives Solymæos *venerari* Servatoris *gloriam* obtectâ cum Seraphinis facie Jeſ. VI. 2. ita tamen, ne *ſerviliter* metuant Agnum, in quo ſumma eſt *manſuetudo*. Matth. XI. 28. Decet *abnegatâ propriâ* ſapientiâ, juſtitiâ, ſanctitate & gloriâ omnem *in Chriſto lucem* ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctitatis *quærere*. 1. Cor. II. 2. Phil. III. 8.

Utendum eſt luce Agni ad *propriam miſeriam*, ad *Patris* in *Chriſto gratiam*, ad *redemtionis ſapientiam*, ad *redemtorum officia*, ad *Scripturæ myſteria* profundiſſima, & reliqua cognoſcenda. Pſal. XXXVI. 10.

§. 24.

Fruendum Agni luce ad *ambulandum*, ne pedem offendamus, ne labamur, ne aberremus, ne mundo faciem, Agno terga obvertamus, ſed potiùs in *Luce Agni*, Chriſto inſpectante, omnia cogitemus, dicamus & faciamus. Eph. V. 8.

§. 25.

Denique non in mundi deliciis aut voluptatibus, ſed in Agno omnis *Lux ſolatii* & gaudii quærenda. *Omnia* Chriſti ſunt pleniſſima ſolatio. Lucent Chriſti *membra* omnia. Sequenda *veſtigia* Chriſti fulgida *loquentis*, *agentis*, *patientis*. Lucent omnia membra Chriſti ad *juſtificationem*, quia omnia cruciatibus ſubjecta fuerunt, lucent quoque ad *ſanctificationem*, quia omnia juſtitiæ membra fuerunt. Lucet Chriſti Sanguis *mane* in aurora gratiæ, lucebit quoque *veſpere* in conſummatione gratiæ. Lucet Chriſti meritum in *morte* ad ſpem vitæ, lucebit in *reſurrectione* ad victoriam mortis. Lucet in *hac vita* Lux *dulciſſima*, lucebit in *cælis* Lux *perfectiſſima*.

TANTUM.

APPENDIX

LIBELLI DE SILENTIO S. SCRIPTURÆ.

DISSERTATIONES AFFINIS ARGUMENTI

I. De Homine ad imaginem Patris in Filio reſtaurato ad Gen. III. 22.

II. De Chriſto meſſi alienæ falcem immittere ſine ratione viſo. Matth. XXV. 24.

III. De Operibus in Domino defunctos ſequentibus. Apoc. XIV. 13.

IV. De Jubilæo legali & Evangelico. 2. Cor. VI. 2.

Hactenus ineditas exhibens, eodem Auctore.

DISSERTATIO I.

In Gen. III. 22.

הנה אדם היה כאחד ממנו

Ecce homo fuit ut unus ex nobis.

§. 1.

SOlent à multis hæc verba ita intelligi, ac si Deus justissimus homini exprobraverit *stultitiam*, qui affectans similitudinem Dei ex ipso illo usu arboris vetitæ, quo uti medio ad hunc finem voluit, infelicitatem omnem ac ignominiam contraxit.

Hi vertunt: *Ecce quàm præclarè factus est Adam sicut unus ex nobis.*

§. 2.

Rem ipsam quidem non negamus, fatemur hominem imagine divinâ non contentum, ipsam quoque divinitatem sibi rapturum magnis excidisse ausis, & loco divini honoris ac summæ Majestatis, locum meruisse infra bestias.

Conf. Gen. III. 5. cum Jes. I. 3. Monumenta quædam veritatis latent in Titanum, cœlum ipsum stultitiâ petentium crimine & pœnâ, in Promethei furto & supplicio &c.

§. 3.

Sed tamen non possumus adduci, ut credamus, Deum *ironicè* illudere homini, optimum Deum ridere hominum miseriam, verissimum

vi miſericordiæ miſereri lapſorum, iisque ſubvenire, ſed utrumque locum non habuit poſt promiſſionem gratiæ verbalem & realem.

Exempla exprobrationis ubique occurrunt, ut Pſ. L. 16. ſeqq. *Quid enarras decreta mea, & aſſumis fœdus meum in ore tuo*, commiſerationis Ezech. XVI. 3. ſeqq. ſed jam promiſerat Deus gratiam in Protevangelio Gen. III. 15. jam obſignaverat promiſſionem ſigillo veſtium pellicearum Gen. III. 21. Quem igitur in finem exprobraret peccatum jam condonatum? aut cur miſereretur jam reſtaurati?

§. 7.

Ducunt ergo antecedentia & conſequentia ad aliam planè interpretationem. Antea DEUS gratiam promiſit, & promiſſam obſignavit, nunc in parte priore commatis XXII. gratiam conceſſam declarat, & in reſtauratione hominis placidè acquieſcit.

Vertimus ergo verba hoc modo: *Ecce homo denuò factus eſt, ut unus ex nobis*.

§. 8.

Hæc interpretatio optimè congruit cum *antecedentibus*. Deus enim promiſſionem Meſſiæ obſignaverat per ſigillum tunicarum pellicearum, quæ juſtitiam & imaginem Servatoris ob oculos ponebant, eum in finem induendam & applicandam, ut in nova creatione homo denuò ſimilis eſſet Deo.

Quid frequentius eſt phraſi illâ, *induere Jeſum Chriſtum*, *novum hominem*, &c. Rom.

XIII. 14. Eph. IV. 24. Annon qui Christum induit, ipsi fit similis, internè eundem gerens animum, Phil. II. 5. externè Christi legens vestigia. 1. Petr. II. 21. Imò verosimile est, phrases Paulinas respicere historiam indutarum vestium typicarum, & à typo ad antitypum deducere.

§. 9.

Ut enim Christus suo sanguine hanc renovationem divinæ imaginis meruit, ita eandem per Spiritum donat & applicat.

Utrumque apparet, si credamus, pelles fuisse agnorum mactatorum pro sacrificio hilastico, quia *Agnus Dei* in typo *mactatus est inde à prima creatione* Apoc. XIII. 8. Funditur sanguis ad justitiam, tegitur nuditas ad sanctitatem.

§. 10.

Conspirant quoque *consequentia*. Post impetratam enim justitiam fidei, & restaurationem gratuitam, cavenda erat justitia operum, abneganda planè merita propria.

Eum in finem cavet Deus in sequentibus, ne homo per gratiam denuò divinâ imagine beatus *extenderet manum*, & *sumeret de arbore vitæ*, ad vitam, eâdem lege, quâ ante lapsum quærenda fuerat, post lapsum denuò obtinendam.

§. 11.

Quò ducit nexus, eòdem quoque ducit *emphasis* verborum & phrasium.

Oſtendimus, nexum favere noſtræ expoſitioni. Non poſſet tamen illa locum habere, niſi ipſa verba & phraſes eandem ferrent, imò poſcerent. Invitis verbis non extorquenda unquam ex nexu eſt interpretatio.

§. 12.

Particula הנה ἰδὲ, *ecce* nos ducit ad novam creationem.

Conf. Gen. I. 31. *Ecce autem bonum erat.* 2. Cor. V. 17. *Ecce nova facta ſunt omnia.* Joh. I. 29. *Ecce Agnus ille Dei.* Ita præſenti in loco: Ecce Adam factus erat valdè bonus, & nunc denuò ſimilis eſt factus nobis, ſeu *uni noſtrûm*, quod novam, ut mox oſtendemus, præfert emphaſin.

§. 13.

Deinde verbum היה *fieri* uſurpatur de prima & ſecunda creatione.

De prima creatione uſurpatur vox היה Gen. I. 3. ſeqq. *Dixit Deus, eſto lux, & fuit lux.* Hujus loco in N. T. eſt γίνομαι 1. Joh. I. 3. quod ipſum quoque legitur 2. Cor. V. 17. de nova creatione.

§. 14.

Porrò factum eſſe *inſtar unius* ex SS. Trinitate, annon idem eſt, quod creatum eſſe ad imaginem Dei?

Hæc coincidunt, ut patebit, ſi ſpectemus verba Gen. I. 26. בצלמנו כדמותנו *juxta imaginem noſtram, in ſimilitudine noſtra*, & cum locis parallelis conferamus. Chriſtus enim eſt εἰκὼν (צלם) Patris inviſibilis imago, & pec-

cator conversus similis fit huic εἰκόνι, id est, fit sicut unus ex SS. Trinitate. Col. I. 15. Phrasis Græca κατ' εἰκόνα τȣ̃ κτίσαντος, quâ utitur Apostolus Col. III. 10. convenit accuratè cum Gen. I. 26. ubi הבורא ὁ κτίσας affirmat, *se creare hominem secundùm imaginem suam*. Nam particula כ idem quod κατὰ notat, *secundùm*, *juxta*, ut videre est ex NOLDIO in Concord. Part. Hebr. Nec dissentit phrasis, quæ occurrit in loco parellelo Eph. IV. 24. Idem enim est νέος ἄνθρωπος ὁ ἀνακαινȣ́μενος κατ' εἰκόνα τȣ̃ κτίσαντος, & καινὸς ἄνθρωπος ὁ κατὰ θεὸν κτισθείς. Nam κτισθῆναι supponit τὸν κτίσαντα, & quis alius est ὁ κτίσας, quàm ὁ θεός? Ergo κατὰ Θεὸν, & κατὰ τὸν κτίσαντα est unum idemque. Utroque autem in loco ὁ νέος seu καινὸς ἄνθρωπος est imago Christi, ut ὁ παλαιὸς est imago Adami Gen. V. 3. *Adam genuit filium ad similitudinem suam, ad imaginem suam*. Ut imago Dei Patris est Christus, ita ad imaginem Patris conditus est homo in prima creatione, & ad eandem renovatur peccator in nova creatione. Si adsit convenientia cum *imagine* divina, non potest non nasci inde *similitudo*. Eam ob rem additur Gen. I. 26. כדמותנו *sicut similitudo nostra*.

§. 15.

Si *ante* lapsum Filius Dei, qui est imago Patris, fuit exemplar hominis creati, multò magis *post* lapsum idem exemplar est hominis restaurati.

Nova enim accedit relatio post lapsum per Redemtionem. Vi cujus relationis α) Christus non solùm est causa EFFICIENS creationis novæ, ut fuit primæ, Joh. I. 1. seqq. sed etiam causa MERITORIA Eph. II. 10. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo JESU ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*, & EXEMPLARIS Eph. IV. 24. *& induere novum illum hominem, qui secundùm Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram.* β) Nititur similitudo, quâ convenit cum Archetypo Ectypus, *communione fidei*. Non possunt enim sociari dissona. 2. Cor. VI. 14. 15. *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus. Quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione, & quæ communio lucis cum tenebris?* γ) Vi hujus communionis Christus est *Caput* fidelium membrorum, *Sponsus* sponsæ, *Primogenitus* fratrum. Eph. IV. V. Rom. VIII. Jam verò aliqua debet similitudo intercedere inter membra & caput, inter fratres, inter conjuges. δ) Inprimis Adamus, ut *maritus* Evæ, fuit typus Christi. Jam verò Adamus fuit δόξα Θεȣ̃, *gloria Dei*, immediatè ad imaginem Dei creatus, sed Eva δόξα ἀνδρός, *gloria mariti*, mediatè ad Dei, immediatè ad viri imaginem creata 1. Cor. XI. 7. ubi δόξα explicatur per εἰκόνα. Sic quoque Christus Ecclesiæ maritus est εἰκὼν καὶ δόξα, Dei Patris gloria, Ecclesia verò, Sponsa Christi, est εἰκὼν καὶ δόξα ἀνδρός, Christi mariti seu sponsi gloria.

§. 16.

Secundùm œconomiam igitur ſalutis homo reſtauratus *Filio* dicitur ſimilis, qui tamen reverà & Patris & Spiritûs ſancti ſimilitudinem refert.

Hæc cauſa videtur *Silentii*, quo tegitur ille אחד, *unus*. Ideò non expreſſis verbis memoratur *Filius*, aut *unctus*, ut alibi, quia, qui *Filio* ſimilis eſt, & *Patri* eſt ſimilis. Deinde, qui *Filium* habet, & *Patrem* habet. Eſſentialiter Jehovah eſt אחד *unus* Deut. VI. 4. Perſonaliter & œconomicè *unus* in divina eſſentia eſt Mediator alius à Patre & Spiritu. Denique, cùm agitur de negotio ſalutis, cùm id *uni* ex perſonis SS. Trinitatis tribuitur, per ſe patet, Filium eſſe intelligendum.

§. 17.

Denique facilè ſuppleri poteſt particula עוד *iterum*, quo facto totius dicti ſenſus erit apertiſſimus.

Exprimitur hoc ſenſu particula illa Exod. XXXVI. 6.

PORISMATA PRACTICA.

§. 18.

Non poteſt ſatis laudari Divina Sapientia & Bonitas, quæ hominis lapſi reſtaurationem decrevit, promiſit & dedit.

Eph. I. 3. 4. 5. 1. Petr. I. 3.

§. 19.

Eò major eſt hæc gratia, quò major miſeria erat Adami, per lapſum divinâ imagine orbati, & Satanæ imagine fœdati.

Eph. II. 3. Joh. VIII. 44. Eph. IV. 22. Gen. V. 1.

§. 20.

Eadem eſt conditio hominum omnium per naturam.

Joh. III. 6. Pſal. LI. 7.

§. 21.

Agnoſcenda ergo & deploranda eſt in pœnitentia hæc miſeria, & quærenda reſtauratio.

Pſal. LI. 11. 12.

§. 22.

Deus non gaudet miſeriâ, ſed reſtauratione.

Jeſ. I. 3. 16.

§. 23.

Exuenda autem primò imago Adami, qui Satanæ imaginem induerat, poſthabitâ divinâ.

Coll. III. 9.

§. 24.

Induenda contrà imago Chriſti, qui eſt imago Patris cœleſtis.

Col. III. 10. Matth. V. 48. Eph. V. 1. 2.

§. 25.

Medium eſt fides, quæ meritum Chriſti, imaginem humanam aſſumentis, ut divinâ nos imagine indueret, ſibi applicat.

Col. II. 6. 7.

§. 26.

Criterium reſtaurationis eſt ſimilitudo Chriſti interna & externa.

Phil. II. 5. 1. Petr. II. 21.

§. 27.

Præcipua est similitudo interna, quæ Christi sapientiam, sanctitatem, mansuetudinem, cœterasque virtutes animum exornantes habet.

Phil. II. 1. 2.

§. 28.

Sed hæc ita demonstranda est externè, ut in Christi vestigiis ambulemus, ut per caritatem aliorum restaurationem optemus, eâque gaudeamus.

Eph. IV. 15.

§. 29.

Ita demum certi sumus, nos esse Deo similes, quia Christo similes sumus, Patri, quia Filio.

Rom. VIII. 17. 29.

§. 30.

Hinc colligimus, nos esse filios & filias Patris cœlestis.

1. Joh. III. 1. Joh. I. 12.

§. 31.

Denique hinc certi sumus, nos esse hæredes Testamenti, vitæ æternæ olim participes futuros. Gal. IV. 7.

DISSERTATIO II.

In Matth. XXV. 24.

Προσελθὼν δὲ καὶ ὁ τὸ ἓν τάλαντον ἐιληφὼς, ἔιπε. Κύριε ἔγνων σε, ὅτι σκληρὸς ἔι ἄνθρωπος, θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, καὶ συνάγων, ὅθεν οὐ διεσκόρπισας.

Accedens autem, & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, noveram te hominem durum esse, qui metas, ubi non sevisti, & inde cogas, ubi non sparsisti.

§. 1.

IN verbis his servi nequam explicandis alia ad *phraseos*, alia ad *rei* ipsius explicationem observanda sunt.

§. 2.

Phrasis est duplex ex parte *similis*, sed tamen *distincta*.

Similis est ex parte, quia utraque videtur injustitiam indicare, metere, ubi alii seminârunt, & colligere, ubi alii sparserunt, vel, ut Lucas habet, auferre, quod alii posuerunt. Luc. XIX. 21.

§. 3.

Phrasis in Matthæo *prior*, in Luca *posterior*, differt ab altera, quæ in Matthæo *posterior*, in Luca *prior* est, ut species à genere.

Inter Matthæum & Lucam aliqua videtur intercedere differentia. Ille enim utitur phrasi

συνάγειν & διασκορπίζειν, hic verò αἴρειν & τιθέναι. Sed tamen res eſt eadem. Nam διασκορπίζειν eſt *hinc inde ponere*, argentum variis in locis collocare, ergo idem quod τιθέναι, συνάγειν eſt *tollere ex variis locis collecta*, ergo idem eſt, quod αἴρειν. Alter alterum explicat.

§. 4.

Nam non ſolùm grana frumenti ſeminando ſpargimus, & hinc inde in humo deponimus, ut inde lucrum in meſſe redeat, ſed etiam alia, aurum, argentum, merces diſtribuimus, & inſtar ſeminis ſpargimus, ut cum fœnore redeant. Σπείρειν ſemper eſt διασκορπίζειν, ſpargere ſemen, ut loquitur Cicero pro Roſcio Cap. XVIII. & Ovidius Metam. L. V. 4. 646. Sed διασκορπίζειν non ſemper eſt σπείρειν. Ita quoque θερίζειν ſemper eſt συνάγειν, ſed συνάγειν non ſemper eſt θερίζειν. Ergo διασκορπίζειν & συνάγειν generaliorem habet ſignificatum, quàm σπείρειν & θερίζειν. Ut eum in finem ſeminamus, quò cum lucro metamus, ita eum in finem hinc inde mutuo dantur nummi, ut cum fœnore redeant. Plautus Epid. A. II. Sc. II. 4. 80. *Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur.* Intercedit quoque alia ſimilitudo. Meſſis tempus certum eſt, ita quoque fœnoris. Perſius Sat. VI. 4. 25. *Meſſe tenus propria vive.* Ubi Caſaubonus: *Meſſis eſt annuus reditus.*

§. 5.

Quoad *rem* ipſam ſunt, qui Deo nimiam duritiem, imò injuſtitiam à ſervo nequam expro-

brari contendunt, & hanc calumniam, imò blaſphemiam, ut falſam & improbam rejiciunt.

Injuſtum eſt, falcem mittere in meſſem alienam. Injuſtum eſt, ex alienis nummis fœnus colligere. Si aliena captare non licet inter homines, multò minùs id decet DEUM juſtiſſimum. Ergo calumnia eſt, imò blaſphemia, Deum injuſtitiæ accuſare, quæ in Scriptura, ſi hanc interpretationem probes, allegatur quidem, ſed non probatur.

§. 6.

Verùm non poſſumus hanc interpretationem adoptare ut veram, quia à Domino ipſo *probatur* quodammodo hæc ſervi nequam ſententia, non planè rejicitur.

Dominus enim inquit ℣. 26. ἤδεις ὅτι θερίζω &c. *Sciebas me metere, ubi alii ſeminârunt.* Sano ſenſu probat Dominus dicta ſervi nequam, ſed tamen alio ſenſu, ac hic objecerat.

§. 7.

Ergo non in ſola opinione ſervi nequam, ſed re ipsâ Dominus certo reſpectu metit, ubi non ſeminavit, & colligit, ubi non diſperſit. Neque obſtat vox σκληρὸς, quæ eſt relativa ad ſervum, & comparatè intelligenda.

Ita Act. IX. 5. Chriſtus minatur Saulo: σκληρόν σοι, *durum tibi erit*, experieris eſſe durum, *contra ſtimulum* calcitrare. De comparatione Veteris & Novi Teſtamenti dicetur infrà.

§. 8.

Christum Dominum re ipsâ *collegisse* per servos *messem*, per quos *non seminavit*, ex similibus Christi verbis colligimus, quæ occurrunt Joh. IV. 38.

Fateor, primâ fronte apparere aliquid discriminis, & Joh. IV. 38. non Christum, sed *Apostolos* spectari, ut metentes, ubi alii seminârunt. Sed tamen Christus id facit mediatè per Apostolos. Dicit enim: Ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν, *Ego misi vos ad metendum.* Christus est Dominus messis, Apostoli tantùm ἐργάται Matth. IX. 38.

§. 9.

Christus enim Dominus messis affirmat, se manifestatum in carne, & præsentem in terris mittere Apostolos *ad metendum*, *ubi non seminaverant*, ergo non est alienum à Christo, id facere sano sensu, respectu servorum, quod ipsi, ut Hero, adscribit servus nequam.

Si id non est alienum à Christo, ut ex Joh. l. c. patet, ergo nec dedecet Christum sano sensu colligere, ubi non sparsit, fructum ferre, ubi alii laborem & curam suam impenderunt, id quod in sequentibus clariùs patebit.

§. 10.

Res ipsa penitiùs inspecta docebit, non dedecere Christum, messem Apostolis tradere colligendam, etiamsi sementem ipse curandam aliis dederat, seu, quod alterâ phrasi inculcatur, concedere Apostolis commoda alieni laboris.

Hunc esse sensum verborum servi nequam arbitramur: *Novi te severum esse Dominum, te metere, ubi non seminâsti, & colligere seu auferre, ubi non sparsisti*, id est, *novi, te ingentem nostram Judæorum severiorem paulò in Veteri Testamento fuisse, & hoc ipsum nunc quoque demonstrare, dum per discipulos tuos metis, quamvis non ipsi, sed Prophetæ Veteris Testamenti seminârunt, dum per discipulos lucrum colligis, quod ex suo labore Patriarchæ & Prophetæ sperârunt.*

§. 11.

Sanè Veteris Testamenti œconomia fuit tempus *sementis*, ut œconomia Novi Testamenti est tempus *messis*, illa fuit tempus *laborum*, hæc tempus *præmii*.

Rationes convenientiæ præcipuæ sunt sequentes: α) Sementis præcedit, messis sequitur. β) Fixum utrique est certum tempus. γ) Molesta est sementis, jucunda messis. δ) Seminantes sperant, metentes fruuntur speratis. ε) Copiosior est messis, quàm sementis. ζ) Necessaria est sementis, si messem sperare velis; necessaria messis, si frumentum sine usu perire nolis. Quæ omnia ad œconomiam Veteris & Novi Testamenti facilè applicantur. Vid. Gal. IV. 4. Jes. IX. 2. Ps. CXXVI. 5. 6. Amos. IX. 3. Matth. XIII. 30.

§. 12.

Alii ergo erant *seminantes*, nempe *Prophetæ* Veteris Testamenti, qui per legis prædicatio-

nem *ſulcos ducebant*, id eſt, corda ad ſalutarem triſtitiam vulnerabant, deinde verò *ſemina* doctrinæ Evangelicæ animis credebant, id eſt, ſpem Redemptoris promiſſi cordibus inſtillabant.

Ad *duplicem* hunc finem collineabat omnis Prophetarum Veteris Teſtamenti labor, unde omni jure ſeminantibus comparantur. Inſpiciatur initium libri Jeſaiæ. Quid Caput *primum*, niſi ſalutarem *pœnitentiam*, quid *ſecundum*, niſi ſpem & *fidem* Meſſiæ promiſſi intendit? Ita Malachias Cap. I. & II. ſulcos ducit, at Cap. III. & IV. promiſſionis ſemen ſpargit &c. Sic quoque tempus V. T. fuit tempus elocationis. Magna fuêre bona, quæ Deus Iſraëli credidit ſub ſpe utilitatis in fideles redundantis. Rom. IX. 4. *Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum eſt adoptio, & gloria, & pacta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones.*

§ 13.

Alii contrà ſunt *metentes*, & fructum alieni laboris colligentes, nempe *Apoſtoli*, qui gaudent promiſſionum *implemento*, per Evangelium omnibus nuntiant, *maturitatis* adeſſe tempus, curant *reſecandos* per abnegationem fideles, *colligendosque* in horrea Eccleſiæ univerſalis, ad poſſidenda præmia fidei & ſpei ſinceræ & conſtantis.

Huc tendebat omnis Apoſtolorum labor, partim ut cum gaudio nunciarent, *maturas* eſſe promiſſiones Veteris Teſtamenti, jam *fructus* fidei & ſpei colligi poſſe, partim ut fideles

fideles ad pœnitentiam, fidem, amorem ac ſpem ducerent, ad pœnitentiam, *reſecando*; ad fidem & amorem, *colligendo*; ad ſpem, colligendo in *horrea*. Videantur & legantur attentè Petri ſermones Act. II. III. IV. V. & Pauli Epiſtolæ. Sic quoque tempus Novi Teſtamenti fuit tempus collectionis. Nam bona Veteris Teſtamenti typica tulerunt fructum maturum & abundantem in Novi Teſtamenti implemento. Luc. II. 29. Matth. XIII. 16.

§. 14.

Gaudere itaque debuerunt Judæi tempore *meſſis*, in qua colligitur laborum fructus, non invidere meſſoribus.

Meſſis *gaudii* tempus eſt, ut ſuprà notavimus, imprimis meſſis ſpiritualis Novi Teſtamenti, ubi hyemi ſucceſſit *æſtas*, frigori *calor*, tenebris *lux*, ubi *annus gratiæ* incipit, (ut primus menſis anni ſacri Niſan erat meſſis initium) ubi *feſta ſpiritualia* celebrantur perpetua (ut initio, medio & fine meſſis agitabantur tria feſta Judaica) ubi meſſis *duplex*, *prior* hordeacea, *Judæorum* per Evangelium vocatio, *poſterior* triticea, *gentium* congregatio, ubi meſſis eſt *anni Sabbatici* & *Jubilæi* ſine labore colligenda à pauperibus ſpiritu &c.

§. 15.

Verùm naturalis quaſi & propria populo Judaico fuit *invidia*, cujus objecta fuerunt, quotquot ſingulari aliquo beneficio aut præſtantiâ fulgebant.

Non ſolùm invident *gentibus* felicitatis ejusdem, quâ ipſi gaudere per fidem debuerunt, communionem nacti Matth. XX. 15. ſed etiam *fratribus* peccatoribus, veniam à Patre cœleſti rogatam impetrantibus, imò ipſi Chriſto, ſpiritu ſapientiæ ob inhabitantem Divinitatem pleno. Matth. XII. 24. XIII. 55. &c.

§. 16.

Invidia illa, quâ Apoſtolos, fructum alieni laboris deguſtantes, proſequebantur Judæi, effectus fuit *ἀπιςίας* ſeu *incredulitatis*.

Si enim crediſſent, Jeſum eſſe Meſſiam promiſſum, Dominum omnium ſervorum Veteris & Novi Teſtamenti, Prophetarum & Apoſtolorum, non potuiſſent dicere: *Metis, ubi non ſeminâſti*. Idem enim Dei Filius Prophetas miſit, ſeminantes in Veteri Teſtamento. Idem ſeminavit, qui metit. Servi ſunt unius Domini, & qui miſſi ante Domini adventum, id eſt, ante meſſem, & qui miſſi poſt Dominum manifeſtatum in carne, id eſt, in meſſe. Matth. XXI. 34. 36. XXII. 3. 4. Idem Dominus elocavit, & repetit cum fœnore, elocavit in Veteri Teſtamento, repetit in Novo Teſtamento. Hebr. XIII. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt & in ſæcula*. Rectè locutus fuiſſet ſervus, ſi dixiſſet: Tu metis, per quos non ſeminâſti, colligis, per quos non ſparſiſti. Sed malè negat, Dominum ipſum non ſeminâſſe & ſparſiſſe. Quamvis enim non eodem modo id fecit, non in carne, non in terris vivens, quippe nondum

incarnatus, fecit tamen ut Deus æternus. Quamvis non per eosdem ſervos ſeminavit & collegit, fecit tamen ſementem & meſſem idem Dominus per diverſos ſervos.

§. 17.

Effectus invidiæ & comes, filia ac ſoror eſt *Ingratitudo*.

Invidiæ comes & ſoror eſt ingratitudo, quia invidus alienam felicitatem ſemper majorem eſſe ſuâ, ſuam minorem putat alienâ. *Uberior ſeges eſt alienis ſemper in agris, vicinumque pecu grandius uber habet*. Invidiæ quoque effectus & filia eſt ingratitudo, quia invidus non utitur bonis acceptis, ut decet.

§. 18.

Ita quoque Judæorum invidiæ adhæſit *ingratitudo* duplici charactere notabilis, tum *abnegatione*, tum verò *neglectu* beneficii.

Utrumque patet Matth. XXV. 24. *Abnegatio* beneficii, cùm Dominum σκληρὸν nimis *ſeverum* vocat, *neglectus* beneficii, cùm in *terram defodit* talentum ſervus.

§. 19.

Abnegant, non agnoſcunt grato animo beneficia divina in ſe collata, cùm Dominum vocant σκληρὸν, nimis *ſeverum*, nimis durum in populum Judaicum.

Veteri in Teſtamento non quidem *quinque*, aut *decem*, ut in Novo Teſtamento, ſed tamen *talentum*, id eſt, maxima gratiæ munera Judæis credidit Dei Filius, cognitionem ſalutis, fidem, ſpem, juſtificationem, ſancti-

ficationem, glorificationem, Patribus promissioni gratiæ credentibus largitus. An ergo ideò durus, gravis populo, tot beneficiis mactato videri Dominus debuit, quia severior erat disciplina, parcior gratiæ œconomia, major ob sementem labor, minus gaudium, quàm in messe, quia non concessum fuit Prophetis in sementis tempore jam metere, quia Apostoli, feliciores Prophetis, messis tempora attigerunt, alienorum laborum fructu lætati? Annon potiùs gaudere unà debuerunt seminantes cum metentibus, illi, quod laborem suum non esse frustraneum, hi, quod illorum laborem utilissimum, & multâ fruge coronatum viderent. Malunt Judæi *seminare*, σκορπίζειν, quàm *metere* συνάγειν. Hæc nota hostium Christi. Matth. XII. 30. *Qui non est mecum, adversùm me est: & qui non cogit mecum, spargit.*

§. 20.

Negligunt quoque Judæi beneficia divina, creditum sibi talentum defodiunt in terram, terrestri Canaanis hæreditati affixi, malunt fructu bonorum spiritualium orbari, quàm alios videre bonis spiritualibus abundantes.

Populus fidelium, Israël Dei, in Novo Testamento *quinque* vel *decem*, quinque in *principio*, decem in *consummatione* œconomiæ novæ, talentis beatus, fideliter utitur his donis ad gloriam Servatoris, & Ecclesiæ emolumentum. Verùm carnales Judæi, non contenti uno talento, aliis invident plura pos-

ſidentibus, Apoſtolis fructus laborum Propheticorum colligentibus abundantiſſimos, imò unicè bonis Canaanis terrenis inhiantes, ſalutisque curam omnem abjicientes, neque conceſſis gratiæ donis uſi, ut decet, in honorem Datoris & utilitatem proximi, pro præmiis pœnas juſti Judicis meruerunt æternas.

§. 21.

Ita *cohærent* omnia.

Sementis *parcior* eſt meſſe, ita quoque talentum unicum non æquat ſummam quinque vel decem talentorum. *Durior* erat œconomia Veteris, quàm Novi Teſtamenti. Chriſtus in carne manifeſtatus *palàm* miſit Apoſtolos ad meſſem colligendam, & eam ob cauſam dicitur *non ſemináſſe*, quia id *palàm* non factum, quamvis Filius Dei jam in Veteri Teſtamento ut promiſſus Meſſias, ut Rex Eccleſiæ Prophetas miſerit ad ſeminandum. Chriſtus fidelibus Novi Teſtamenti dedit fructum ampliſſimum promiſſionum Veteris Teſtamenti in ipſo impletarum, eamque ob rem dicitur *colligere* vel auferre, ubi non poſuit vel ſparſit, quia nondum aderat in Veteri Teſtamento utpote nondum incarnatus, nec carnalibus Judæis manifeſtata fuit ipſius gratia, quamvis verè credentibus dederit primitias, ſemina, ſpem lætam, dona gratiæ parciora quidem, ſed ad ſalutem tamen ſufficientia. Hinc ergo carnalium Judæorum ingratitudo in Dominum, invidia in proximum, utriuſque cauſa incredulitas, quia Je-

ſum non habuerunt pro æterno Deo, jam in Veteri Teſtamento exiſtente, & ſeminante ad meſſem Novi Teſtamenti, utriusque effectus neglectus talenti in Veteri Teſtamento crediti, unde pœnæ acerbiſſimæ incredulis, ingratis & perfidis inflictæ.

§. 22.

Supereſt, ut cauſas indagemus, ob quas Chriſtus ipſe *Apodoſin* non addidit parabolæ, quam hactenus explicare laboravimus.

Solet Chriſtus aliàs Apodoſin addere. Cur ergo nunc ſilet? Rationes Silentii præcipuæ ſunt: α) quia ſufficiebat applicatio conſcientiæ interna, neque β) voluit ſine neceſſitate Judæorum inflammare odium, imò γ) tacitè continetur Apodoſis jam in protaſi, & medio loco interſpergitur ℣. 29. *Qui habet*, id eſt, qui ita habet, ut decet, qui rectè utitur donis datis, *illi datur, ut abundet. Qui autem non habet*, qui conceſſa dona negligit & abjicit, *illi aufertur*, ob contemtum & ingratitudinem, *illud, quod habuerat*.

§. 23.

Explicari quoque ex eadem phraſi poteſt ſimilis, quæ occurrit Matth. XII. 30. *Qui non eſt mecum, adversùm me eſt: & qui non cogit mecum, ſpargit*.

In hoc loco diſtinguuntur, qui cum Chriſto colligunt, ab iis, qui ſpargunt. Ubi notandum *a*) tempus Novi Teſtamenti eſſe tempus meſſis. *b*) Chriſtum eſſe Dominum meſſis *c*) Apoſtolos eſſe ſocios laboris. *d*) Judæos

carnales non agnovisse gratiam Dei in Christo, ergo noluisse agnoscere tempus messis. *e*) Hinc quoque eosdem non collegisse cum Christo, sed sparsisse potiùs, id est, non implementa, sed promissiones gratiæ publicè docuisse. *f)* Hos ergo esse contra Christum, non pro Christo, quia ipsum non habuerunt pro vero Messia, in quo impletæ fuerunt promissiones omnes.

PORISMATA PRACTICA.

§. 24.

Non caruit gratiâ DEI in Christo salvificâ œconomia Veteris Testamenti, quia tempus fuit sementis. Act. XV. 11.

§. 25.

Sed tamen felicior est œconomia Veteris Testamenti, ubi tempus est messis. Matth. XIII. 16.

§. 26.

Infelices sunt Judæi, qui hæc non ignorant tantùm, sed & præfractè negant. Luc. XIX. 42.

§. 27.

Non enim participes sunt messis, qui sementem præferunt messi, illam tenent, hanc rejiciunt. Matth. IX. 15. seqq.

§. 28.

Christianorum est, in messe lætari, & DEI gratiam celebrare. Joh. VIII. 56.

§. 29.

Imprimis verò uti tempore messis oportet. Eph. V. 16.

§. 30.

Verbi Divini Ministri eo utuntur ad colligendum & uniendum fideles. Rom. XV. 18.

§. 31.

Fideles utuntur ad colligendos fructus. Psal. CXXVI. 6.

§. 32.

Quò major est gratia, eò prudentior esse debet usus. Hebr. II. 2.

§. 33.

Sed tamen, ut in Ecclesia universa olim præcessit sementis, secuta est messis, ita quoque in singulis fidelibus sementis præcedere debet messem, pœnitentia fidem, spes possessionem. Psal. CXXVI. 5.

§. 34.

Si gratià communi & parciori rectè utamur, non deerit gratia specialis & abundantior. Joh. I. 16.

§. 35.

Contrà si negligatur illa, nunquam salus impetrabitur, sed eò major pœna, quò major gratia, quæ contemnitur. Hebr. X. 26. seqq.

§. 36.

Ut autem rectè utamur gratià, sive communi, sive speciali, requiritur abnegatio mundi, relatio omnium ad Dei gloriam, demonstratio amoris sinceri in proximum, donorum optimorum desiderium, incrementum fidei & amoris,

cognitionis & pietatis, omni modo, per vigilantiam, sobrietatem, preces, conversationem piorum, studium Verbi Divini &c. promovendum.

DISSERTATIO III.

In Apoc. XIV. 13.

Καὶ ἤκουσα φωνῆς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, λεγούσης μοι, γράψον. Μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπ' ἄρτι. Ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται, ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν. Τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν.

Et audivi vocem, de cœlo dicentem mihi, scribe: Beati mortui in Domino morientes à modo. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: at opera illorum sequuntur cum ipsis.

§. 1.

NOn est animus, integrum hoc dictum explicare, quod variâ abundat charitate, sed phrasin τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν, *opera ipsorum sequuntur cum ipsis* illustrare.

Usum habet Didacticum, Elenchticum & Paracleticum dictum integrum. *Didacticus* ostendit beatæ mortis criteria, nempe fidem, amorem, spem, sanctimoniam, obedientiam, patientiam, mansuetudinem, quæ omnia continentur in phrasi, *mori in Domino*, id

eſt, in fide junctum eſſe Chriſto, illi inhærere per amorem, illo niti firmâ ſpe, in ipſo vivere ſecundùm ſpiritum, ad ejus exemplum vivere & mori. *Elenchticus* probat, purgatorii inventum novum eſſe, & ſacræ Scripturæ contrarium, quia ἀπ' ἄρτι quieſcunt mortui. *Paracleticus* ſuppeditat fundamenta ſolatii, beatitudinem, quietem, præmia fidelium, quia operá ſequuntur.

§. 2.

Phraſis hæc optimè intelligitur & explicatur, ſi *oppoſitas* phraſes & ritus examinemus, ſi opera ſequentia aut comitantia conferamus cum operibus antecedentibus.

Opera fidelium in Chriſto morientium ſimul debent ſpectari ut ſequentia, ἀκολουθεῖ, ſimul quoque comitantia, μετ' αὐτῶν. Sequuntur enim non èminus, ſed proximè & paſſibus æquis, quod novum eſt contra purgatorii fabulam argumentum. Poſſet etiam ritus *ſimilis* allegari, nempe crematio cadaverum unà cum iis, quæ defunctis honori & gaudio erant.

§. 3.

Phraſis *oppoſita* legitur Matth. VI. 2. ubi contraria Phariſæorum ſuperbia & fiducia carnalis reprehenditur & notatur.

Agitur de *bonis operibus*, quæ ſunt κατ' ἐξοχὴν *Eleemoſynæ* Act. IX. 36. *Tabitha erat dives operum bonorum & eleemoſynarum, quæ præſtabat.* Hæc opera præcedebant, non ſequebantur Hypocritas, ἔμπροσθέν σου, *ante*

faciem tuam, non à tergo, non fiebant in honorem Dei, ut ea, quæ ſequuntur, à quibus faciem avertimus, quorum gloriam non nobis, ſed Deo tribuimus Matth. V. 16. ſed in *honorem proprium*, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, *ut celebrentur ab hominibus*.

§. 4.

Imitabantur Phariſæi morem *triumphantium*, quos *præcedebant* ſigna & imagines urbium expugnatarum, hoſtes captivi, ſpolia, tubæ & buccinæ.

Si ignotus fuit Judæis triumphus, quamvis vix eſſe potuit, invenitur tamen aliqua convenientia. Phariſæos quoque præcedebant buccinæ, & eleemoſynæ, opera, non fortitudinis, ſed amoris. Comitabatur turba gratulantium δοξαζόντων, ut triumphantes comitabatur multitudo gratulabunda.

§. 5.

Contrà fideles in Chriſto verè *triumphantes* non præmittunt opera, ut ſequantur ipſi, ſed ipſi præcedunt, & ultrò *ſequuntur* opera.

Triumphant fideles in morte, α) ut triumphantes laureâ coronati fuerunt, ita fideles in morte *coronam vitæ* immarceſcibilem, lauro vivaciorem, reportaut Apoc. II. 10. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. β) Ut triumphantes ſedebant in curru triumphali ceu throno, ita fideles in morte *cum Chriſto ſedent in eodem throno*, ſicut olim cognati. Apoc. III. 21. *Qui vicerit, tribuam ei, ut ſedeat Mecum in throno meo, ut & Ego*

vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus. γ) Ut triumphantes audiebant voces gratulantium, ita hìc quoque auditur *vox gratulabunda* Apoc. XIV. 13. *Beati ab hoc tempore mortui ii* &c. δ) Ut triumphantes, confecto bello, victis hostibus, quiescebant, ita datur fidelibus *quies à laboribus.* l. c. ε) Ut triumphantes quiescebant in patria, postquam urbem & Capitolium intrâssent, ita fideles intrant civitatem cœlestem Apoc. XXII. 14. *Et per portas ingrediantur in civitatem, & templum* spirituale. Apoc. III. 12. *Qui vicerit, faciam, ut is sit columna in templo Dei mei.* ζ) Ut unà cum triumphantibus urbem Romam intrabant opera, victoriæ testes, ita quoque cum fidelibus, sed hoc discrimine, quod triumphantium opera præcesserunt, fidelium *sequuntur* à tergo, sed proximè.

§. 6.

Causæ hujus discriminis variæ sunt & sapientissimæ, præcipuè ex oppositionis legibus deducendæ.

Pharisæi enim opera præ se ferentes hoc ipso indicabant superbiam carnalem, fiduciam in merito proprio, hypocrisin. Contrà in fidelibus est *humilitas*, *fides* in Christum, sincerus in alios *amor*, ad Christi normam præceptis & exemplo commonstratam. Sequuntur opera jubentibus fidelibus.

§. 7.

Causa ergo *prima* operum sequentium, non præcedentium, est *fiducia* in *solo Christi merito.*

Præcedit enim Christi meritum, quod fide verâ apprehenditur & applicatur, causa unica justificationis, *sequitur* hanc sanctificatio, ut fructus meriti Christi, & criterium justificationis 1. Cor. 1. 30. *Sed ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque & sanctificatio, & redemtio. Præmittitur* quidem sanctificatio 1. Cor. VI. 11. *Sed sanctificati estis, justificati estis* &c. Sed ideò, quia *prior* incurrit in sensus. *Præivit* Christus ad parandum nobis locum Joh. XIV. 3. *Proficiscor paraturus vobis locum: & cùm profectus fuero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad me ipsum.* Conf. Gen. XXXII. 20. ubi præcedunt dona, Esavum placatura, ut præcedunt Christi merita.

§. 8.

Altera causa est *humilitas*, quæ abnegat omne meritum proprium.

Indicatur hæc humilitas Matth. XXV. 37. *Domine! quando Te vidimus esurientem, & aluimus? aut sitientem, & dedimus Tibi potum?* ubi fideles ne quidem agnoscunt opera, fidem testantia, ob defectum & imperfectionem. Non præcedunt, non laudantur, sed tamen sequuntur. Primò comparent coram Christi throno fideles, dein opera, quæ illi post tergum esse jubent.

§. 9.

Tertia causa est, quia opera sunt *ministri* & *servi*, unde sequi debent, non antecedere.

Pater destinavit, Filius impetravit, Spiritus applicat. α) In salutis *destinatione* sequuntur opera Eph. I. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti, & inculpati in conspectu ejus cum charitate.* Non sunt electionis causa, sed effectus. Eph. II. 10. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo JESU ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus.* β) In salutis *inchoatione* seu impetratione sequuntur opera, præcedit Christi *justitia*, sequitur *robur* spirituale Jes. XLV. 24. *Tantummodo in Jehovah, de me inquiet, omnis justitia & robur est.* Causa præcedit effectum. γ) In salutis *applicatione* sequuntur opera, applicatur primò Christi meritum quoad fructum justificationis, deinde quoad vim sanctificationis Matth. IX. 2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua*, & ibid. 4. 6. *Surge, & ambula.* Applicatur primò sanguis, dein spiritus, primò datur vita in Christo, deinde operationes sequuntur vitales.

§. 11.

Præcedunt non solùm hypocritarum opera, sed & *impiorum*, illa in speciem bona, sed verè mala, hæc apertè mala. Utrisque *quinto* opponuntur opera fidelium.

Peccata quædam impiorum vocantur *clamantia*, quæ præcedunt, & Judicis vindictam poscunt. Antè igitur Judicem accedunt, quàm peccantes. Ejusmodi peccata sunt profusio *sanguinis insontis* Gen. IV. *impuritas* dominans Gen. XVIII. *oppressio* debi-

lium Exod. III. *negatio mercedis* operariorum Jac. V. Et hypocritæ clamant de operibus ſuis. Matth. XII. 19.

§. 12.

Denique *ſexto* ſequuntur opera mortuos in fide ad *Chriſti exemplum*.

Nam Chriſtum quoque in cruce pro nobis mortuum ſequebantur opera, excitata ipſius merito & vi Sanctorum corpora. Matth. XXVII. 52. ſeqq.

§. 13.

Ita patent cauſæ, ob quas ſequuntur, non præcedunt morientes fideles opera, nunc *ſcopum* hujus ſequelæ indagare neceſſe eſt.

Sive præcedant, ſive ſequantur opera, adſunt tamen, ergo quem in finem adſint, quid faciant, quid præſtent, oſtendendum.

§. 14.

Sequuntur ergo opera fidelium mortuorum in Domino tum in *cælis*, tum in *terris*.

Mors enim eſt diſceſſus è terris, & abitus in cœlum. Utroque modo ſequuntur opera Phil. I. 23. utrumque jungitur.

§. 15.

Sequuntur in *terris*, dum manet operum & *memoria* & *deſiderium*.

Manet *memoria*, quia non eodem momento cum fidelibus terram relinquunt opera, ſequuntur enim. Vid. Matth. XXVI. 13. *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, etiam, quod hæc fecit, dicetur ad me-*

moriam ipsius. Sed tamen non manent opera ipsa, ergo *desiderium* absentium excitant. *Virtutem enim*, teste Horatio, *incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi*:

§. 16.

Sequuntur in *cœlis*, ut testes *fidei*, *pænitentiæ*, *sanctificationis*, *obedientiæ*, *amoris*, *spei*, & in genere *vitæ spiritualis*.

In genere vita spiritualis in his terris initium est æternæ in cœlis, *in specie* vitæ spiritualis argumenta sunt pœnitentia, fides &c.

§. 17.

Sequuntur opera, & apparent in cœlis, ut testes *pænitentiæ*, quæ est conditio salutis & causa, sine qua non.

Sine *pænitentia* non datur salus, quia non datur sine illa *remissio peccatorum* Luc. XIV. 47. *prædicari ipsius nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes* jussit Servator. Act. V. 31. *resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum* promittit Deus. Pœnitentiæ autem fructus sunt bona opera Matth. III. 8. *Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ*; & vers. 10. *Omnis arbor, non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur*. Matth. VII. 19. 20. *Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos*.

§. 18.

Sequuntur opera, & coram Deo sunt quoque documenta *fidei*; sine qua nemo salvatur.

Fides

Fides eſt medium applicandæ ſalutis per Chriſtum impetratæ. Hinc ſalvifica dicitur, quia eſt medium, non cauſà ſalutis. Joh. III. 16. *Ut, quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Demonſtratur autem fides per opera. Jac. II. 18. *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis meam fidem.*

§ 19.

Sequuntur porrò opera, ut documenta *ſanctificationis*, ſine qua nemo Deum videbit.

Solis ſanctificatis promittitur communio cum Deo 1. Joh. I. 6. *Si dixerimus, nos communionem habere cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, nec ſincerè agimus.* Hebr. XII. 14. *Pacem ſectemini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Bona autem opera demonſtrant ſanctificationem 1. Petr. I. 15. *Sicut is, qui vos vocavit, ſanctus eſt, ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini.* 1. Joh. III. 3. 4. *Quiſquis habet hanc ſpem in eo ſitam, caſtum ſe conſervat, ſicut & ille caſtus eſt* &c.

§. 20.

Deinde & teſtes ſunt *obedientiæ* bona opera, ſequuntur ergo & comitantur ad vitam æternam promiſſam obedientibus.

Promiſſa eſt vita æterna iis, qui obediunt præceptis divinis Apoc. XXII. 14. *Beati, qui præſtant ejus præcepta, ut ſit eis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in civitatem.* Obedire autem præceptis, non eſt operari

malum, ſed bonum. Matth. VII. 23. *Diſcedite à me, qui operam datis tranſgreſſioni legis.* coll. ℣. 21.

§. 21.

Cohæret cum fide *ſpes* & *amor*. Utriuſque teſtes ſunt bona opera, & ſequuntur ideò defunctos, ut coram throno Dei teſtentur de fidei ſinceritate.

Bona opera ſunt effectus *charitatis* 1. Joh. III. 18. *Filioli mei, ne diligamus verbo, neque linguâ, ſed facto & charitate.* Documenta *ſpei* Gal. VI. 8. ſeqq. *Qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet interitum, qui verò ſeminat ſpiritui, ex ſpiritu metet vitam æternam* &c. Utraque adhæret *fidei* 1. Cor. XIII. 13. *Nunc verò manet fides, ſpes, charitas, tria hæc, maxima autem harum charitas.*

§. 22.

Denique ſequuntur opera, ut effectus *vitæ ſpiritualis*, quæ conſummatur in cœlo.

Vita ſpiritualis & æterna non differunt, niſi gradu. Vita æterna eſt vitæ ſpiritualis conſummatio Joh. XI. 26. *Quiſquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Ut non poſſunt bona opera fieri, ſi non adſit vita ſpiritualis, ita nec vita adeſſe poteſt ſpiritualis, ut non certiſſimè ſequatur æterna. Teſtantur igitur coram throno Dei bona opera de vita ſpirituali in cœlo continuanda in iis, quos *unà ſuſcitavit, unáque collocavit in cœlis in Chriſto Jeſu* per fidem & ſpem Deus O. M. Eph. II. 6.

§. 23.

Hic ſcopus eſt comparentium coram throno Dei bonorum operum, eum in finem non præcedunt quidem, ſed tamen ſequuntur *ſtatim*.

Immediatè ſequuntur μετ' ἀυτῶν, & ſimul comparent coram throno Chriſti, quod apparet ex Matth. XXV. 34. 35. Citantur fideles verſu 34. *Tunc dicet Rex iis, qui ad dexteram ipſius: Adeſte benedicti Patris mei, poſſidete regnum, paratum vobis à jacto mundi fundamento*. Statim publicè declarantur opera verſu 35. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi, quo veſcerer; ſitivi, & dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & collegiſtis me* &c.

§. 24.

Non poſſunt enim avelli bona opera, vi *ſanctitatis, juſtitiæ* & *veritatis* divinæ.

Non poſſunt avelli, & à tergo relinqui bona opera *α)* vi divinæ *ſanctitatis*, quà Deus ſummam ſuam perfectionem amat, & quicquid huic congruit. Amat *opus proprium* Phil. II. 13. Eph. II. 8. ſeqq. Bona opera exprimunt *imaginem divinam* Matth. V. 48. Eph. V. 1. ut amat Deus ſe ipſum, ita quoque imaginem ſuam. *β)* Vi divinæ *juſtitiæ*, quæ ſuum cuique tribuit, præmia bonis, malis pœnas. *Juſtum* eſt apud Deum, manſuetis, patientibus, fidelibus ad mortem *dare quietem*. 2. Theſſ. I. 6. 7. Exſpectat Paulus à *juſto Judice* coronam 2. Tim. IV. 7. 8. Fundatur autem hoc jus, non merito proprio, ſed Chriſti in fidelibus per ſpiritum operantis. *γ)* Vi

veritatis, quâ promisit & præstat. Promisit autem operum præmia, nec fallere potest fideles in fide hæc promissa tenentes. Hebr. XI. 6. Gal. VI. 8. 9.

§. 25.

In triumpho præibant tubæ & buccinæ, deinde imagines victarum urbium, denique & spolia hostibus erepta, quæ, *sensu spirituali*, non præcedunt, sed sequuntur certissimè fideles.

Tubæ & buccinæ ob oculos ponunt ea, quæ *ad gloriam Dei* fecerunt fideles, *victæ urbes* repræsentant labores pro *extendendo regno Christi*, *spolia* denique nos monent de *abnegatione mundi*, ejusque, per *opum* inter pauperes *distributionem*, demonstratione.

§. 26.

Triumphabant Imperatores Romani *viventes*, sed ut Christus triumphavit in *morte*, ita quoque fideles cum Christo, & per Christum triumphant *defuncti*.

De Christo res est evidens Col. II. 14. 15. *Deleto, quod adversùm nos erat, rituum chirographo, quod erat nobis subcontrarium, ipse* (Pater) *cruci affixum* (Filium) *sustulit, & exspoliata imperia ac potestates traduxit palàm, triumphatis illis per eum. Fideles*, dum vivunt, certant, in morte triumphant. 2. Tim. IV. 7. 8. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus ille Judex.* adde Apoc. II. 10.

§. 27.

Dum *vivunt* fideles, opera *præcedunt*, ſed in *morte ſequuntur*. *Præcedunt* reſpectu *hominum*, *ſequuntur* reſpectu *Dei*.

In *vita* præcedunt opera, & priora apparent externè, reſpectu *hominum* Matth. V. 16. *Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera*, & Matth. VII. 16. *A fructibus eorum agnoſcetis eos*. Fides, charitas, ſpes, vita ſpiritualis ſunt dona interna, non incurrentia in oculos hominum. Col. III. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in DEO*. Apud *Deum* verò ſequuntur opera etiam in hac vita, quia prius eſt principium, prior cauſa, poſterior eſt effectus. Deus primò in converſione, regeneratione, nova creatione dat vitæ ſpiritualis principium, deinde dat vires operandi, dat priùs voluntatem, deinde ipſam executionem. Phil. II. 13. *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuita benevolentia*. In cœlo autem reſpectu *Dei* & *hominum* ſequuntur opera. Apparet enim prior vita ipſa, felicitas cœleſtis, & ex hac felicitate colligitur jam ante inchoata, nunc verò conſummata ſanctificatio, ejusque per opera demonſtratio.

§. 28.

His in terris fideles *agunt* & *patiuntur*, faciunt bonum, malum tolerant, *hoc* ceſſat in morte, & poſt tergum relinquitur, *illud* manet, & in morte comitatur abeuntes.

Cessant in morte mala tentationum, persecutionum, adversitatum. Apoc. VII. 16. *Non esurient ampliùs, neque sitient ampliùs, nec in eos cadet sol, neque ullus æstus.* Ergo hæc non sequuntur pios in Christo morientes. Hinc quies in præcedentibus promittitur in Domino morientibus, ut 2. Theff. I. 7. *Vobis verò, qui affligimini, relaxationem* (dabit) *nobiscum, in revelatione Domini JESU de cælo, cum Angelis suis potentibus.* Contrà quicquid boni in vita universa effectum est, id omne comparet cum fidelibus coram throno Christi. Matth. X. 40. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.*

§. 29.

Donec in corpore vivunt fideles, nondum ab omni peccato liberi sunt. Unde perpetua est inter carnem & spiritum lucta. Deponuntur autem in morte carnis exuviæ, & cum iis reliquiæ peccati. Ergo ut *sequuntur bona* opera defunctos, ita *non* sequuntur *mala*.

Quoad mala duplex est piorum officium, *pati* malum physicum, *fugere* malum morale. Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine & abstine*. Crescunt indies regeniti in sanctificationis studio, cujus pars non contemnenda est mali fuga. Sed non datur consummata sanctificatio, & plenaria mali fuga, nisi in morte beata, in qua diruitur domus leprosa corporis. Desiderant, anhelant hanc ipsam ob causam mortem beatam fideles. Rom. VII. 24. *Ærumnosus ego homo! quis me eripiet ex isto corpore*

mortis? Relinquuntur nævi, deſeritur peccatum, cùm deſeritur caro, in qua peccatum habitavit, ut in domo leproſa. Rom. VII. 8. *Novi enim, non habitare in me, id eſt, in carne mea, bonum.* At bona, quæ fecerunt, opera, non ceſſant, ſed manent quoad *exercitium* & *fructum.* Rom. VI. 22.

§. 30.

Nec ſequi poſſunt opera, quæ *non ſunt fidelium*, & contrà non poſſunt non ſequi opera, quæ ita fidelibus ſunt propria, ut ſeparari ab iis nullo modo poſſint.

In textu eſt τὰ ἔργα ἀυτῶν, *opera ipſorum.* Atqui opera peccaminoſa ſunt fidelium voluntati contraria. Rom. VII. 15. *Quod enim perpetro, non agnoſco. Non enim, quod volo, hoc ago, ſed quod odi, hóc facio.* Ergo non ſunt ipſorum opera, non agnoſcunt pro ſuis, vellent eſſe infecta. Contrà bona opera ſunt piorum opera, quibus delectantur, gaudent, deliciantur.

PORISMATA THEORETICO-PRACTICA.

§. 31.

Hactenus dicta faciunt ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παιδείαν & παράκλησιν.

2. Tim. III. 16. occurrunt hæc Scripturæ effecta, hi uſus omnes. παιδεία eſt inſtitutio omnium, & debilium ac afflictorum, ſimul complectitur ergo παράκλησιν, ſolatium & roborationem.

§. 32.

Confirmant enim fidem noſtram, & docent, mortem fidelibus non eſſe metuendam, utpote non noxiam, ſed utilem, non ad remota, ſed proxima ſtatim gaudia introducentem.

Hoc confirmatur S. Scripturæ dictis, exemplis & ratione. *Dicta* ſunt Phil. I. 23. Jeſai. LVII. 2. *Exempla* Luc. XVI. XXIII. *Rationi* id patet, poſt gratiam Evangelicam publicatam, quia in Domino morientes non poſſunt eſſe infelices. In communione Chriſti perfecta datur ſalus. Qui in Chriſto vivunt, æternùm vivent.

§. 33.

Refellunt ſimul errorem purgatorii, qui conciliari nullo modo poteſt cum operibus piè defunctos immediatè ſequentibus.

Quâ enim ratione *a)* opera defunctos ſequuntur & comitantur, ſi diu differuntur operum bonorum præmia. Si contrà *b)* cruciantur ad tempus animæ, & peccatorum luunt pœnas, quis non dicet; peccata potiùs ſequi, & vindictam efflagitare? Si *c)* bona opera ſequuntur ſtatim poſt mortem, ut fidei documenta, annon ſufficiet ſanguis Chriſti per fidem applicatus ad purgandas animas, & purgatorii flammas exſtinguendas? Si *d)* eadem ſunt vitæ ſpiritualis operationes, annon ſufficit Spiritus ſanctus, vitæ ſpiritualis Auctor, ad ſanctificationem, quæ eſt certiſſimum videndi Dei medium? Parùm ſanè aut nihil tribuunt bonis operibus, qui aliàs ni-

miùm tribuunt, & meritum bonorum operum ſtatuunt, quod tamen nullum eſt, ſi opera ſequantur, non præcedant. An verò e) iram Dei in purgatorio ferendam credimus iis, qui mala patiuntur, & bona faciunt, ut gloriam, & honorem, & immortalitatem quærant, quibus vitam potiùs æternam promittit Verbum Dei? Rom. II. 7. 8. Opponuntur hæc ſibi invicem, non ita conjunguntur, ut poſt iram in vita altera aliquamdiu toleratam ad vitæ æternæ gaudia detur introitus. Alia Lectoris meditationi relinquimus.

§. 34.

Hæc theoretica ſunt. Ad practicum uſum pertinet convictio illorum, qui ſine operibus bonis, ſtulta opinione, vitam æternam & cœli gaudia ſibi pollicentur.

Sanè niſi opera bona te comitentur coram throno Dei comparentem, non licet ſperare juſtificationem. Abeſt enim fides juſtificans, quia abeſt amor juſtificans fidem, abeſt ergo ſpes ſolida, ſi abſit fides & amor. Nec licet ſperare vitam æternam, ſi abſit vita ſpiritualis, æternæ initium, ſi abſint opera, vitæ ſpiritualis effecta. Solus neglectus bonorum operum ſufficit ad damnationis ſententiam audiendam. Matth. XXV. 41. ſeqq. *Tunc dicet etiam iis, qui ad ſiniſtram:* (qui non dederunt cibum eſurientibus &c.) *Execrati, abite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus* &c. Neque datur vacuum. Ubi non adſunt opera bona, ibi non

desunt mala. Nihil agendo, malè agere discimus. Ut verò bona opera sequuntur in Domino defunctos, ita mala sequuntur in peccatis mortuos. Illa ad æternam felicitatem, hæc ad cruciatus sempiternos. Matth. VII. 23. *Tunc autem profitebor iis: Certè nunquam novi vos, discedite à me, qui operam datis transgressioni legis.*

§. 35.

Simul autem his veluti calcaribus fideles incenduntur ad urgendum fervidè bonorum operum studium.

Non enim frustranea sunt bona opera. Non pereunt, non evanescunt, sed manent & sequuntur vel in ipsa morte. Manent ipsa, quia consummatur in cœlis sanctificatio, manent illorum præmia, quæ non quidem sunt scopus bonorum operum, sed tamen incentiva. Ita Moses Hebr. XI. 26. *Majores ducens divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros, intuebatur præmii retributionem.* Non possunt enim illa præmia avelli à bonis operibus, quæ ipsa sunt decus, gloria, voluptas, quies, gaudium fidelium, ut contra opera mala ipsam pœnam, dedecus, horrorem, tenebras sinu suo continent. Sanctificatio est ipsa glorificatio Rom. VIII. 30. Non potest serviri Satanæ, τῷ πονηρῷ, sine infelicitate, neque Deo summo bono sine felicitate summa.

§. 36.

Denique ad consolationem lugentium, & debilium confirmationem ducit ordo gratiæ, quo opera non præcedunt, sed sequuntur.

Qui enim agnoscunt cum mœrore reliquias peccati, qui agnoscunt debilitatem vitæ spiritualis, cum desiderio gratiæ, cum zelo bonorum operum, sciant, non præcedere opera, non esse causam justificationis, sed signa justificatorum, non ergo fidendum esse operibus, non quærendam in iis justitiam, abnegandam potiùs esse justitiam propriam, tenenda firmiter Christi merita, omnem gloriam Deo soli tribuendam. Credant denique, eos solos, qui opera sua ut imperfecta damnant, justificandos esse coram tribunali Jesu Christi. 1. Cor. XI. 31.

DISSERTATIO IV.

In 2. Cor. VI. 2.

Λέγει γάρ. Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι. Ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας.

Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce! nunc tempus acceptabile, ecce! nunc dies ſalutis.

§. 1.

APoſtolus felicitatem Novi Teſtamenti mirum in modum extollit, quando aſſerit, *nunc tempus eſſe acceptiſſimum, nunc diem adeſſe ſalutis*, & hoc argumento Pſeudapoſtolorum calumnias ſolidiſſimè refellit.

Falſi Doctores, legem cum Evangelio miſcentes, ut ad partes ſuas pertraherent Corinthios, criminabantur, Paulum ideò differre reditum diu promiſſum, quia minus fidebat cauſæ ſuæ. Hinc teſtatur Apoſtolus, ſe non curare aliorum ſuſpiciones aut crimina, nec captare applauſus ac laudes hominum, divino favore contentum Cap. V. 9. ſeqq. Simul tamen aſſerit, ſe non abeſſe hactenus ob diffidentiam cauſæ, ſed perſuaſiſſimum eſſe de Evangelii dignitate & veritate Cap. VI. 1. ſeqq. Imprimis Evangelii dignitatem extollit verſu ſecundo. Se enim Præconem eſſe gratiæ immenſæ & ineffabilis, à Prophetis

promissæ, gaudet, hanc gratiam esse Evangelii scopum, & summam prædicat.

§. 2.

Verba illa Apostoli ex Jesaia Cap. XLIX. 8. citata, esse descriptionem *Jubilæi* Evangelici, ex eodem, unde deprompta sunt, præsagio discimus.

Non potest ullus certior esse Parallelismus, quàm cùm verba ipsa, ex eo loco, qui Parallelus est, desumta esse constat. Nec certius est ullum interpretandi fundamentum, quàm locus parallelus clarior illustrans obscuriorem.

§. 3.

Sicut enim *Jubilæi* legalis præcipua privilegia fuerunt, anno quinquagesimo priva & propria, *restitutio* possessionum alienatarum, & servorum, anno septimo libertatem spontè fugientium, *dimissio*, ita utrumque pollicetur nexus vaticinii.

Hæc duo priva & propria fuerunt anno Jubilæo. Alia, ut *quies* & *remissio* debitorum communia illi cum anno Sabbatico fuerunt. Vid. Levit. XXV. 8. seqq. Utrumque autem beneficium jubilæum promittitur Jes. XLIX. 8. seqq. nempe α) restitutio possessionum versu octavo: *Sic ait Jehovah: Tempore accepto exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi, & custodiens te, disponam te in fœdus populi, ad confirmandum terram, ad efficiendum, ut possideat possessiones desolatas.* β) Liberatio servorum & captivorum versu nono: *Dicendo*

vinctis: Exite, iis, qui sunt in tenebris, revelamini.

§. 4.

Idem patet ex ipsis *phrasibus*, quæ in utroque, & Jesaiæ, & Pauli loco occurrunt.

Uterque locus, quoad phrases, per omnia conspirat. Quod enim Jesaiæ est עת רצון, *tempus acquiescentiæ*, idem Paulo est καιρὸς δεκτὸς vel εὐπρόσδεκτος, *tempus acceptissimum.* Quod Jesaiæ est יום ישועה, idem Paulo est ἡμέρα σωτηρίας, *dies salutis*.

§. 5.

Nam Annus Jubilæus rectè vocatur עת *tempus fixum*, limitatum, & *opportunum*, quale fuit tempus celebrandi Jubilæi.

Sive annum nonum supra quadragesimum, sive quinquagesimum Jubilæum statuas, semper tempus manet *fixum*, non vagum, apparet etiam *opportunum*, quia ut septimus quisque annus Sabbaticus fuit, ita post septem Sabbaticos sequens, vel septimus Sabbaticus Jubilæus fuit. Sed tamen quinquagesimum annum fuisse credimus, tum ex verbis Legislatoris Levit. XXV. 10. *Ut sanctificetis annum quinquagesimum, & proclametis libertatem in ipsa terra habitatoribus ejus. Jubilæus annus ille esto vobis, ut revertamini quisque ad possessionem suam, & quisque ad familiam suam revertamini*; tum ex simili modo dies numerandi ad festum Pentecostes, tum denique ob novum mandatum de servanda quiete, quod supervacaneum fuisset, si ipse annus Sabbaticus septimus fuisset Jubilæus annus.

§. 6.

Deinde tempus Jubilæi omni jure vocatur tempus *acquieſcentiæ*, ſeu tempus *acceptum* & acceptiſſimum, ob inſignia Jubilæi anni privilegia.

Illud רצון referri poteſt vel ad *Deum*, vel ad *populum*. Si *prius* eligas, Jubilæus annus eſt tempus divini favoris, gratiæ, benevolentiæ erga populum. Si *poſterius*, Jubilæum eſt tempus acquieſcentiæ, quo gaudent homines. Ita Luc. II. 14. εὐδοκία referri poteſt ad Dei erga homines favorem, vel hominum in divina gratia gaudium. Eligendum tamen prius judicamus, quia Jeſ. LXI. 2. annus hic vocatur שנת רצון ליהוה *annus gratiæ divinæ*, & opponitur diei vindictæ divinæ. Ex hujus gratiæ ſenſu oritur gaudium, acquieſcentia hominum.

§. 7.

Primum Privilegium Jubilæi fuit *quies* agrorum & hominum, in quo multiplex apparuit divinæ benevolentiæ monumentum.

Non ſerebatur, nec metebatur Anno Jubilæo, ſponte autem nata juris & uſus erant communis. Ne verò in tanta hominum multitudine quenquam inopia premeret, faciebat benedictio divina annis præcedentibus affixa. Ergo *a)* ſignum erat benignitatis divinæ quies à labore moleſto ad animorum recreationem, & corporum refectionem comparata. *b)* Alterum, cura pauperum, ad quos præcipuè redibat proventus terræ ſpontè natus, imprimis fructus arborum. *c)*

Tertium, benedictio divina annis antegressis adhærens. Hæc apertum fuit divinæ; pro populi salute, curæ indicium. Nam præsentissimum fuisset inopiæ ac famis periculum, nisi illud avertisset divina & extraordinaria planè benedictio. Neque Moses ausus unquam fuisset tanto periculo objicere populum, nisi de divina benedictione persuasus fuisset, vi mandati & promissionis divinæ. Meritò insigne hoc argumentum pro Mosis ἀξιοπιστίᾳ & θεοπνευστίᾳ urgetur in Bibliotheca Germanica Tom. XXX. pag. 83. seqq. Nam non est callidi impostoris, suam unicè gloriam quærentis, uni eidemque periculo exponere & populi integri salutem, & propriam famam. Objectionibus ibidem acutè & solidè respondetur.

§. 8.

Neque minùs clarè divinam populi curam testatur Privilegium *alterum*, nempe debitorum *remissio*, & huic annexa *restitutio* tum possessionum alienatarum, tum amissæ libertatis.

Hæc connexa sunt. Si enim remittenda fuerunt debita, sanè non retinendæ fuerunt possessiones, agri, domus, vineæ &c. debitorum causâ vendita vel oppignorata, nec detinendi in servitute servi, ob debita venditi. Hæc cuncta demonstrant amorem Dei in populum Israëliticum, cujus hoc pacto tuebatur libertatem, securitatem & dignitatem, avaritiam omnem, injustitiam, oppressionem profligando, saltem limitando & finiendo, cujus

cujus ſaluti internæ etiam proſpiciebat, cavendo omnem tribuum confuſionem, omnemque Iſraëlis cum populis vicinis commixtionem, ut ſarta tectaque maneret vera Religio, ut certis characteribus dignoſci poſſet promiſſus Meſſias, ut luxus, idololatria, libido, tyrannis omnis averteretur, peſtes animorum, familiarum & rerumpublicarum.

§. 9.

Utrumque *priſtina* ſimul divinæ gratiæ beneficia in memoriam populi revocabat, ut hâc quoque ratione annus jubilæus tempus beneplaciti vocari mereatur.

Commemorandis enim divinis beneficiis in Ægypto, Deſerto & Canaane expertis inſerviit Jubilæum. Dimiſſio ſervorum monumentum fuit liberati ex captivitate Ægyptiaca populi, quies agrorum, cibati ſine labore ſuo Iſraëlis in deſerto, reſtitutio poſſeſſionum, occupatæ terræ Cananææ. Horum beneficiorum memoriâ gaudebat populus, & hoc etiam ſenſu annum acceptiſſimum cum ſingulari gaudio & jucundiſſima acceptæ gratiæ memoria exigebat.

§. 10.

Præcipuè autem *beneficia ſpiritualia* promiſſa & delineata per Jubilæi privilegia annum hunc quinquageſimum fecerunt tempus beneplaciti divini & humani.

Sabbata Veteris Teſtamenti omnia, dies Sabbaticos, annos Sabbaticos, & Jubilæos fuiſſe *typos* bonorum ſpiritualium, docet Apoſto-

lus Col. II. 16. 17. *Ne quis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, vel Sabbatorum, quæ umbra est futurorum, quorum umbra est Christus.* Ubi omnia Judæorum tempora sacra memorantur, novilunia, festa & Sabbata. Sanè signa fœderis & bonorum fœderis, imprimis sanctificationis, fuisse Sabbata, liquet ex Exod. XXXI. 13. Levit. XXV. 2. Deut. V. 15. Ezech. XX. 12.

§. 11.

In genere per privilegia Jubilæi fidelibus obsignabatur restauratio bonorum *paradisiacorum*, quibus gaudebat status integer ante lapsum.

Hinc bona gratiæ vocantur נחלי עדניך *flumina voluptatum Edenis* Ps. XXXVI. 9. Fertilitas Canaanis imago fuit amissi per peccatum, sed restituendi per gratiam Paradisi. Nasiræorum abstinentia videbatur reditus ad obsequium in Paradiso postulatum & promissum, at non præstitum. Ut in Paradiso primi hominum spontè natis sine labore molesto fruebantur, ita quoque in Jubilæo idem obtinuit anno. Utrobique, & in Paradiso, & in Anno Jubilæo, nulla locum habuit servitus, nulla quenquam gravavit debitorum moles. En igitur privilegia Anni Jubilæi reserati denuò, & redditi Paradisi pignora!

§. 12.

In specie, ut *tria* præcipua sunt *mala* ex peccato orta, & cum peccato conjuncta, nempe conscientiæ terror, reatus & servitus: ita *tria*

opposita bona promisit Jubilæum, nempe pacem, justificationem & sanctificationem.

Tria illa peccati mala, ut aberant à felicitate paradisiaca, ubi pax & libertas dominabatur, ita hostili & communi impetu lapsos statim homines invaserunt. Testis amissæ pacis *horror*, testes fugatæ innocentiæ & libertatis subjugatæ *latibula* & *subligacula*. Gen. III. 7. 8. 10. Imprimis justissimi Dei dictamina ✠. 16. seqq. probant, paci & quieti successisse *labores* molestos, justitiæ loco *reatum* fuisse, quem testantur *pœnæ*, pro libertate invaluisse servitutem, quam experiebatur mulier *subjecta viro*, vir *subjectus agro*, uterque *subjectus* morti, ubi ultima libertatis deperditæ signa sunt חבלי מות *vincula mortis*, fasciæ sepulcrales. Hæc tamen per gratiam fiunt *media pœnitentiæ* & *fidei*, & *pœnitentiæ* quidem, quia amissæ felicitatis tristem sensum excitant, *fidei* verò, quia restaurationis desiderium inspirant, quam promisit Pater, quam meruit Filius, quam ipso facto largitur Spiritus sanctus.

§. 13.

Jam in ipso Paradiso, statim post lapsum, hæc bona præstantissima *promisit Pater*, & repetitis deinde vicibus proposuit ac delineavit.

In Paradiso publicatum Protevangelium pollicetur *libertatem* & *pacem* Gen. III. 15. *Libertatem*, quia cessat Satanæ in seductos imperium, simul ac *contritum* est *serpentis caput*, *pacem*, quia *inimicitia serpentis* involvit amicitiam Dei. Nec cessare potest peccati *domi-*

nium, nisi cessaret *debitum*. Missi ex carcere debitores probant, expuncta esse debita. En tria Jubilæi bona! pacem, libertatem, & debitorum remissionem. Eadem sæpè aliàs promissa & delineata sunt in vaticiniis & typis Veteris Testamenti, ut Gen. V. 29. & alibi. His immorari nec licuit, nec necesse est.

§. 14.

Quæ Pater promisit, *Filius impetravit*, qui origo est & fons bonorum spiritualium, in Jubilæi privilegiis depictorum.

Hæc sunt privilegia regni DEI, *justitia* seu debitorum remissio, *pax* seu quies, *gaudium* seu plenaria libertas, quâ nihil naturæ quoque dulcius est. Rom. XIV. 17. Christus ut *Propheta* hæc bona nunciavit, ut *Sacèrdos* meruit suo sanguine, ut *Rex* per spiritum applicat. Ut *Propheta* conscientiam solatur & tranquillat, unde quies Matth. XI. 28. 29. *Ego faciam, ut requiescatis...... Et invenietis requiem animabus vestris*. Ut *Sacerdos* satisfecit unico sacrificio pro debitis fidelium Col. II. 14. Rom. VIII. 33. 34. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est* &c. Ut *Rex* liberat fideles à jugo Satanæ. Hebr. II. 14. 15. *Per mortem abolevit eum, penes quem est mortis robur, hoc est, diabolum, & liberos reddidit, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis*.

§. 15.

Bona Jubilæi ſpiritualis, Filii ſanguine parta, *Spiritus ſanctus applicat.*

Applicat enim Spiritus ſanctus *pacem*, conſcientiæ remiſſionem peccatorum declarans, & per ſanctificationis beneficium *peccati* & *Satanæ vincula* diſſolvens. Hinc merito Filii jungitur Spiritûs ſancti gratia, cùm de remiſſione, pace & libertate agitur. Pſ. LI. 14. Gal. IV. 5. 6. 1. Cor. VI. 11. & *tria* illa bona referri ad *Spiritum* ſanctum poſſunt in verbis Pauli Rom. XIV. 17. *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum ſanctum.* Poſſunt tamen & *tria* illa bona ad SS. *Trinitatem* referri, nempe *quies* ad *Spiritum* Conſolatorem, *remiſſio* debitorum ad *Patrem*, *libertas* ad *Filium* Goëlem.

§. 16.

Jam in *Veteri Fœdere* hæc gratiæ beneficia obtigerunt fidelibus, ſed tamen gradum eminentiorem attigit *Novi Teſtamenti* œconomia.

Ceſſat enim in Novo Teſtamento *moleſtia* oneris legalis Matth. XX. 12. *Iſti ultimi unam horam fecerunt, & eos æquales nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtum.* Ceſſat *exprobratio debitorum* in ſacrificiis. Col. II. 14. *Deleto, quod adversùm nos erat, rituum chirographo, quod erat nobis ſubcontrarium.* Ceſſat denique *ſervitus* Legis cærimonialis & Judicum. Gal. IV. 1. ſeqq. *Quamdiu hæres infans eſt, nihil differt à ſervo, quamvis ſit Dominus omnium* &c.

§. 17.

Dantur ergo *Gradus*, quibus progrediuntur fideles ad consummationem usque in cœlis sperandam.

In Veteri Testamento ob brevitatem *dies* fuit Sabbaticus, in Novo Testamento *annus* fluit, in cœlis *Jubilæum* erit, si hæc tria in relatione mutua consideres. Si verò Jubilæum solum contempleris, illud *promissum* fuit & *prægustatum* in Veteri Testamento, *exhibitum* in Novo, continuandum, cum incremento perpetuo, ad finem seculorum, ubi prægustabitur in terris, dabitur in cœlo *consummatio*, ubi consummata erit *quies* & *libertas* Apoc. VII. 16. 17. *Non esurient ampliùs, neque sitient ampliùs, nec in eos cadet sol, neque ullus æstus. Quoniam agnus, qui in medio throni est, pascet eos, & viæ dux erit ipsis ad vivos fontes aquarum, & absterfurus est Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum.* Nec solùm singulorum, sed & Ecclesiæ totius quies erit & libertas. Jes. LX. 17. *Pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum, & pro lignis æs, ac pro lapidibus ferrum, & imponam tibi præfectos pacis, exactoresque justitiæ tibi* &c. Apoc. XXI. 4. *Et absterfurus est Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum, & mors ampliùs non extabit, neque luctus, neque clamor, neque labor extabit ampliùs, quia præcedentia abierunt* &c.

§. 18.

Patet igitur Jubilæum ſenſu proprio & myſtico eſſe *tempus beneplaciti*, reſtat, ut oſtendamus, idem cohærere cum *die ſalutis*.

Annus jubilæus initium habuit die X. menſis Tiſri, ob celebratum feſtum Expiationis maximè notabili, quo ipſo die buccinæ ſonus repetitus (novem vices numerant Judæi) Jubilæi privilegia & gaudia indicebat. Fuit hic dies verè *dies ſalutis*; quæ cum peccatorum expiatione cohæret quàm arctiſſimè. Pſal. XXXII. 1. 2. Vides igitur, cur cum *tempore gratiæ* connectatur dies ſalutis. Nam *a)* ſicut dies expiationis anno jubilæo initium dedit, ita expiatio per Chriſti mortem, uno die facta, initium eſt & cauſa privilegiorum omnium, quæ Jubilæum Evangelicum exhibet fidelibus, nempe internæ *quietis* Hebr. IX. 24. *Sanguis Chriſti mundat conſcientiam veſtram à mortuis operibus, ad colendum Deum vivum.* *Pacis* Col. I. 20. *Pace per ſanguinem Crucis Chriſti facta, per eum reconciliata ſunt omnia, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.* *Libertatis* 1. Petr. I. 19. Redempti enim ſunt fideles *pretioſo ſanguine utpote Agni inculpati & incontaminati, Chriſti.* Et *remiſſionis* peccatorum Matth. XXVI. 28. *Sanguis meus pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Nunciant *b)* adeſſe Jubilæum, patere omnibus ejus privilegia, *Præcones* Evangelii. Jeſ. LII. 7. *Quàm decentes ſunt ſuper iſtos montes pedes evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis ſalutem, dicentis Zioni:*

Regnat Deus tuus. *c) Buccinæ*, ſonus Evangelii, *clangorem* longè latéque audiendum notat Pſal. LXXXIX. 16. *Beatus populus*, *qui agnoſcunt clangorem*. Si *d)* in *numero* definiendo tutò ſequi liceret Judæorum Magiſtros, numerum *ternarium* ultimum ad vocationem Novi Teſtamenti triplicem, primò Judæorum, deinde Gentium, denique tertiò Judæorum & Gentium referre liceret, quò refertur illud Jeſaiæ Cap. LIX. 21. ubi *Judæis* primò, dein *ſemini* Judæorum ſpirituali, ſeu Gentibus, denique tertiò *ſemini ſeminis*, id eſt, convertendis ultimo tempore Judæis & Gentibus promittitur perpetua verbi divini conſervatio. Verùm non tantùm ultima, ſed etiam quævis præcedentium vocationum tres habuit periodos, quæ inveniri facilè poterunt, ut ante legem, ubi prima effluxit ab Adamo ad Noachum, altera ad Abrahamum, tertia ad Moſen, ita quoque ſub lege à Moſe ad Davidem prima, ad captivitatem Babylonicam ſecunda, ad Chriſtum tertia.

§. 19.

Poſt examinatas, & cum Jubilæo conciliatas voces & phraſes Apoſtoli juvabit quoque easdem cum *aliis* Scriptoribus ſacris conferre, & inde interpretationis noſtræ ſubſidia colligere. Argumentum primum ſuppeditabat nobis locus parallelus ab Apoſtolo citatus, & ad implementum applicatus, qui eſt Jeſ. XLIX. 4. Alterum argumentum ex ipſo ſinu textûs depromſimus. Tertium & ultimum dabunt

dicta alia, in quibus obſcurior quidem eſt Parallelismus, quàm in Jeſaiæ l. c. ſed tamen non minor ad textum noſtrum illuſtrandum utilitas.

§. 20.

Imprimis facit ad rem noſtram vaticinium egregium, quod occurrit Jeſ. LXI. 1. 2. *Spiritus Domini Jebovæ eſt ſuper me, eò quòd unxit Jebovah me, ad evangelizandum manſuetis, miſit me ad obligandum fractos animo, ad proclamandum captivis libertatem, & vinctis aperturam ergaſtuli, ad proclamandum annum acceptum Jebovæ, & diem ultionis Dei noſtri, ad conſolandum omnes lugentes.*

Promittitur in hoc præſagio annus benevolentiæ divinæ, & promiſſum adeſſe gaudet Apoſtolus in textu noſtro. Quis autem eſt annus ille? Nempe, quo *fractis corde*, & debitorum mole gravatis nunciatur *ſanatio* ſeu remiſſio, *captivis libertas*, *vinctis dimiſſio*. Quid clarius, quid evidentius de Jubilæi præcipuis beneficiis dici potuit? Quæ ergo beneficia in anno gratiæ exhibenda prædicuntur, eadem in tempore Novi Teſtamenti exhibita prædicat Apoſtolus. Coincidunt שנת רצון ליהוה & *καιρὸς ἐυπρόσδεκτος*, non diſſentiunt annus benevolentiæ divinæ, & tempus, quo Deo accepti ſunt fideles.

§. 21.

Nec dubitamus, in partes etiam vocare dictum Jeſaiæ affine Cap. LXIII. 4. *Quando dies ultionis ex animo meo, & annus vindicandorum meorum venit.*

Agitur de *Anno liberationis*, qui adventurus erat, post victos & triumphatos hostes, post ereptam illorum manibus Ecclesiam. Cur ergo non cogitabimus de *Anno Jubilæo*, & de præcipuo Jubilæi loco, nempe *libertate?* *Præcipuum* hoc bonum vocamus, quia complectitur reliqua. Liberatio è servitute continet hinc, duri laboris finem & *quietem* illinc, *debitorum*, quæ servituti addixerunt obæratos, *remissionem*. Sanè opus divinæ gratiæ est liberatio, & acceptissima mortalibus est libertas. Hinc colligimus, promissum annum liberationis esse tempus εὐπρόσδεκτον, quo Deus peccatorem in gratiam recipit fidelibus acceptissimam, hoc solo discrimine servato, quod Jesaias prædicit bonum futurum, Paulus præsens annunciat.

§. 22.

Cùm tanta sit Jubilæi *dignitas*, tam quoad *typum*, quàm *antitypum*, mirum sanè videri debet, de Anni Jubilæi observantia legali nihil planè in Annalibus Veteris Testamenti inveniri.

Reprehenditur quidem Annorum Sabbaticorum *neglectus*, ut causa captivitatis Babylonicæ 2. Chron. XXXVI. 21. *Ad implendum verbum Jehovæ ore Jeremiæ, donec acquievisset terra Sabbatis suis, omnibus diebus desolationis quievit, complendo annos septuaginta.* Quietem agrorum desolatorum coactam enim ut justam pœnam neglectæ quietis voluntariæ Deus minatur Levit. XXVI. 34. 35. *Tum in*

Sabbatis ſuis acquieſcet terra omnibus diebus, quibus deſolata manebit, quum eritis in terra inimicorum veſtrorum, tum quieſcens terra ipſa, in Sabbatis ſuis acqüieſcet. Omnibus diebus acquieſcet, quibus deſolata manebit, quia non quieverit ſeptimanis veſtris, cùm habitaretis in ea. Sed annorum Sabbaticorum aut Jubilæorum legalis *obſervatio* non legitur.

§. 23.

Non dubitamus tamen, obſervatos fuiſſe aliquando annos jubilæos, & ipſa neglectûs exprobratio eò nos ducit, ut obedientiam populi Iſraëlitici non planè defuiſſe credamus firmiter. Quomodo enim compenſari neglectus omnis annorum Sabbaticorum potuiſſet per annos captivitatis LXX. ſi inde à Moſe ad captivitatem Babylonicam nulli unquam obſervati fuiſſent anni Sabbatici? An à Moſe ad captivitatem non plures, quàm LXX. anni Sabbatici fuêre? Cur non diu antè notatus & reprehenſus fuit hic neglectus, ſi tam antiquus & perpetuus ille fuit? Cur ſola captivitas Babylonica allegatur pœna hujus inobedientiæ? Cur non & vaſtatio agrorum ſæpiùs per hoſtiles exercitus facta? Credimus ergo, Judæis reſtantibus, poſt occupatam terram Cananæam primum annum Sabbaticum obſervatum fuiſſe anno XIV. primum Jubilæum anno LXIV. continuatam hanc obſervantiam Sabbaticorum & jubilæorum annorum fuiſſe quocunque modo ad templi prioris vaſtationem, ceſsâſſe poſtea jubilæos,

mansisse post captivitatem Babylonicam Sabbaticos annos, sed cum vária restrictione.

§. 24.

Mirum ergo videri meritò potest perpetuum illud Scripturæ, de celebrato Jubilæo, *Silentium*, cujus causas indagare lubet.

Causæ hujus Silentii præcipuæ videntur sequentes: α) Adsunt causæ *negativæ*. Donec anni Sabbatici & jubilæi viguit in Israële observantia, *non necesse* fuit memorari obedientiam legi debitam. Nec dierum Sabbaticorum facta mentio, nisi singularis aliqua *occasio* id posceret. *Absuit* antea hæc occasio commemorandi annos Sabbaticos & jubilæos. *Adfuit*, cùm neglectus reprehensioni divinæ ansam & materiam daret, quod factum Ezech. XX. 21. *Rebellârunt autem contra me ipsi filii, in statutis meis non ambulantes, & jura mea non observantes, ut facerent ea, quæ, qui faceret homo, viveret per ea, Sabbata mea profanantes* &c. Neque *festorum* meminit Scriptura sacra, nisi solennis aliqua fœderis confirmatio vel renovatio festa memoriæ populi æternæ commendaret. Ita *Paschatis* celebratio in Ægypto, in Deserto, in Canaane, sub Regibus Ezechia & Josia, denique post liberationem è captivitate Babylonica sex diversis temporibus memorata legitur, quibus addi potest Pascha illud solenne septimum, quo Christus sacram Cœnam Paschalis typi implemento gaudentem instituit. Nulla autem causa specialis commemorandi

Jubilæi adfuit, dum legi divinæ obsecundavit populus. β) Adsunt tamen & causæ Silentii *positivæ*. Hoc Silentium ostendit, non placuisse Deo, neque suffecisse fidelibus externam Jubilæi celebrationem. Non placuit *Deo*, ob peccata populi privilegiis externis adhærentis, sed debitorum remissionem, conscientiæ quietem, libertatem à peccati dominio non quærentis. Hinc pœnam, peccato similem, famem benedictionis loco, & quidem per *septennium* integrum, ne excepto quidem anno Sabbatico, minabatur DEUS 2. Sam. XXIV. 13. Hinc justum Numen per annos *tres* cum *dimidio*, quæ pars est dimidia septennii, Israëlem punivit fame, duraturâ longiùs, nisi preces Eliæ Prophetæ intercessissent. Jac. V. 17. Per *septennium* integrum eadem duravit pœna 2. Reg. VIII. 1. Neque *fidelibus* sub externo Jubilæi cortice nucleum quærentibus suffecit externa quies, pax & libertas. Ad bona spiritualia, ad Messiæ promissi munera, animi desideria, vota precesque omnes tendebant. Ut possessionum in Canaane pretium, propinquante Jubilæo, viluit ob restitutionem divinâ lege præceptam, ita, appropinquante Jubilæo Novi Testamenti, paulatim evanuit Jubilæum legale, post captivitatem Babylonicam, testantibus Judæis, non observatum.

Porismata Theoretico-Practica.

§. 25.

Felicissimus est fidelium Novi Testamenti status, qui perpetuo gaudent Jubilæo, sed *spirituali*.

Annus est & *dies*, non naturalis, sed *mysticus*. Unus enim dies est ab ortu solis justitiæ primo ad secundum jugiter decurrens. Inde ab Oriente ad Occidentem orbis universus radiis Evangelii illustrandus est. Tres sunt partes, mane, meridies, vespera. Hanc attigisse videmur. Instat nox adversitatum, quam novus solis ortus excipiet. Unus quoque annus est, non civilis, qui apud Judæos cum autumno initium habuit, sed sacer, qui cum vere incipit. Quatuor sunt tempestates anni. Post ver Apostolicum, post efflorescentem primis seculis Ecclesiam, æstas secuta fuit in messe gentium, nec defuerunt sequenti ævo fructus maturi, testes autumni, nunc imminere videtur frigus & sterilitas brumæ. Solatur tamen instans anni novi, æterni in cœlo Jubilæi celebratio beatissima. Ita quoque *spiritualia* sunt Jubilæi hujus *bona*, quæ suprà indicavimus.

§. 26.

Cavendum igitur est, ne Jubilæum *legale* denuò post legis finem renovare, aut sub Evangelio *minùs Evangelicum* celebrare optemus.

I. Jubilæum legale reducitur post complementum legis in Christo, quando

Ut in Veteri Testamento anno quinquagesimo alligatum fuit:	Ita ad annum centesimum, quinquagesimum, trigesimum tertium, vigesimum quintum restringitur Jubilæum.
Ut olim ad templum & urbem sanctam congregabantur Judæi ad sacrificia & typicam expiationem:	Ita ad certam urbem undique convocantur Christiani ad sacrificia spiritualia non solùm, sed & propria.
Ut olim privilegia externa dabantur populo:	Ita nunc quoque confluenti undique multitudini pauperum promittuntur alimenta sine labore gratis danda.
Ut olim Sacerdotes clangentibus buccinis Jubilæi privilegia publicabant:	Ita nunc à Sacerdotibus propriis spiritualia bona, pax, libertas, & peccatorum remissio non solùm annunciari, sed etiam distribui creduntur.

II. Minùs Evangelicum est Jubilæum, quando

Ut Evangelium in solo Christo quietem, libertatem, & peccatorum remissionem pollicetur Matth. IX. 2. 6. XI. 28. 29. Joh. VIII. 36.	Ita contrà ab hominibus indulgentiæ & peccatorum venia speratur.

Ut Evangelium omni loco gratiam promittit pœnitentibus & credentibus: 1. Tim. II. 8. Joh. IV. 22. 24.	Ita contrà in certo loco vel urbe facilior accessus ad Deum, & largior peccatorum venia promittitur.
Ut Evangelium omni tempore fidelibus pollicetur gratiam in Christo & auxilium Hebr. IV. 16.	Ita contrà anno vigesimo quinto major gratia, abundantior venia offertur.

§. 27.

Quicunque *miseriam* naturalem, molestum *debitorum* onus, durum peccati *jugum* cum summo animorum *dolore* agnoscunt & sentiunt, illi sperare possunt bona Jubilæi mystici spiritualia, per Christum parata.

Lex per *Mosen* data, *gratia* autem severæ legis exactioni, & *veritas* umbris typorum opposita, per *Christum* accessit. Joh. I. 17. In Christo ergo gratia Jubilæi beneficiis adumbrata offertur omnibus, qui cum *vidua* illa 2. Reg. IV. 1. *debitorum mole gravati* ad Christum *clamant*, qui cum *Israële servitutis duræ pertæsi* à Deo *libertatem flagitant*. Exod. II. 23. Jud. VI. 6.

§. 28.

Inter *media* obtinendi bona illa primum est *Pœnitentia*.

Nisi pœniteat contracti debiti, servitutis amaræ, laboris in ministerio Satanæ exantlati, neque quæritur, nec obtinetur remissio, libertas & quies. In *die expiationis*, quo publicari solebat Annus Jubilæus, cum humi-

liatione,

liatione, contritione, dolore, lacrymis quærenda erat priùs gratia divina, & peccatorum remissio, dein ad Jubilæi bona jus dabatur & aditus. Levit. XVI.

§. 29.

Alterum medium est *Fides* in Jesum Christum viva & efficax.

Christus enim suo labore quietem, suâ servitute libertatem, suo sanguine, quo Justitiæ Divinæ satisfecit, peccatorum remissionem comparavit. Ita factus est nobis *justitia* ad remissionem debitorum, *sanctificatio* ad conscientiæ pacem, & *redemtio* ad libertatem. 1. Cor. I. 30. Ut *dies Expiationis* initium Jubilæi fuit, ita expiatio Christi per sanguinem facta largitur bona Jubilæi vera. Eph. I. 7. Applicandorum autem meritorum Christi medium unicum est *Fides*, cujus effectus est filiorum Dei *libertas*, tranquilla liberorum *fiducia*, & jus *hæreditatis* cœlestis, quæ tria Jubilæi spiritualis bona cum *adoptione* cohærent. Joh. I. 12. *Quotquot autem eum exceperunt, dedit eis hoc jus, ut filii Dei sint facti, iis, qui credunt in nomen ejus*. *Fides sola salvat*, id est, liberat à debitis, vinculis & doloribus peccati. Matth. IX. 2. Luc. VII. 50. Ex plenitudine enim Christi sumit *gratiam pro gratia* Joh. I. 16. post remissionem peccatorum habet pacem, post hanc quoque libertatem.

§. 30.

Tertium medium est *abnegatio sui ipsius*, & *mundi*, tam opum, quàm voluptatum & honorum.

Suprà notavimus, appropinquante Jubilæo, *minora* fuisse *pretia* possessionum. Adest nunc Jubilæum spirituale, appropinquat ejus consummatio. Absit ergo, ut mundi bona cœlestibus privilegiis præferamus. In Jubilæi initio, seu die expiationis *Jejunium strictissimum* requirebatur. Jubilæum spirituale poscit Jejunium *Evangelicum*, abstinentiam à peccatis, temperantiam in mundi usu. 1. Cor. VII. 31. Neque potest ullo modo consistere cum *cupiditate* oculorum seu avaritia *quies* interna & *pax*, nec cum *cupiditate carnis* seu voluptate *libertas*, neque denique cum *fastu hujus vitæ* humilis *debitorum* confessio, & gratiosa remissio. Hæc ergo abneganda, si bona Jubilæi amas. 1. Joh. II. 15. 16.

§. 31.

Qui his mediis ritè usi, tanta & tam pretiosa Jubilæi munera obtinuerunt, id agant oportet, ut *gratitudinem* declarent tanto beneficio dignam.

Magnæ felicitatis loco est quies interna conscientiæ, *pax DEI omnem mentem superans*, cujus nec causam, nec modum, nec effecta satis capimus Phil. IV. 7. *Remissio* gratuita tot ac tantorum debitorum, quæ æquant *talentorum* plures *myriadas* Matth. XVIII. 24. *Dimissio* ex servitute dirissima, ex catenis Sa-

tanæ, ex peccati, vinculis *ære* omni ac *ferro* gravioribus & durioribus. 2. Chron. XXXIII. 12. 13. Beati, qui ipsis quoque hujus mundi bonis uti possunt cum gaudio, postquam *maledictioni* telluris successit *benedictio* Gal. III. 13. & cum divina imagine redditum est *jus* & *dominium* per peccata amissum 1. Cor. III. 22.

§. 32.

Demonstratur hæc gratitudo sincerâ, circumspectâ, & constanti officiorum, *Deo*, *proximo*, & *nobis* ipsis debitorum observatione.

Qui enim post conscientiæ horrores *pacem* obtinuit, sibi cavet, ne denuò internam quietem turbet, *mala faciendo*. Qui à *debitorum* onere liberatus est, sibi ipsi invigilat ne nova contrahat debita, *bonum omittendo*. Qui *servituti* Satanæ ereptus vivit, curat, ne *utroque modo*, aut mali commissione, aut boni omissione Satanæ regno serviat. In specie poscit gratitudo, ut *a) Deo* fideliter *serviamus*, quæ vera est & sola *libertas*, & in *operum divinorum* contemplatione & celebratione deliciemur, quæ vera est animi *quies*, internum & externum gaudium. *b)* Ut respectu *proximi* non *justitiæ* tantùm studeamus, & ab omni debilium oppressione abstineamus, sed etiam *misericordiam* in *egenos*, *mansuetudinem* in *debitores* exerceamus. *c)* Denique, ut respectu *nostri* ipsorum *contenti* vivamus iis, quæ Deus sine curis anxiis & noxiis per media legitima nobis largitur, iisque *temperantes* utamur. Tria hæc officia, *pietatis* in

Deum, *juſtitiæ* in proximum, *temperantiæ* in nos ipſos Tit. II. 12. continentur in Jubilæi beneficiis, *illa* in quiete Sabbatica, *iſta* in communione fructuum, ſervorum dimiſſione, ac debitorum remiſſione, *hæc* in divinæ benedictionis uſu tranquillo.

§. 33.

Denique ad *ſolatium* afflictorum, ſuis ac Eccleſiæ malis ingemiſcentium, facit *ſpes* conſummandi, & conſummatè fruendi in diebus ultimis Jubilæi myſtici.

Promiſſa eſt Eccleſiæ ultimæ α) perfecta quies interna Jeſ. LX. 20. β) pax externa ℣. 18. γ) libertas ℣. 14. Veni Domine JESU!

T A N T U M.

Τῷ Θεῷ ἡ Δόξα.

INDEX I.

Materiarum.

Pag.

INDEX II.

Locorum S. Scripturæ partim allegatorum tantum, partim vero uberius explicatorum.

Genes.

I N D E X.

I N D E X.

INDEX.

I N D E X.

I N D E X.

Cantic.

I N D E X.

I N D E X.

Math.

INDEX.

II. 40

INDEX.

S

Actor.

INDEX:

ad Rom.

INDEX.

I. ad Corinth.

II. ad Corinth.

ad Galat.

ad Ephes.

ad Ephes.

INDEX.

INDEX III.

Rerum notatu digniorum.

Corrigenda.

Pag 66. lin. 16. pro legitur, *lege* tegitur. P. 86. lin. 8. pro mundo, *lege* modo. P. 116. lin. 11. pro indapandum, *lege* indagandum. P. 123. lin. penult. pro oxtra, *lege* extra. P. 127. lin. 10. pro eum, *lege* cum. P. 139. lin. 2. pro quop, *lege* quod. P. 141. lin. 1. pro insis, *lege* ipsis. P. 156. lin. 14. pro ultio, *lege* ultionem. P. 158. lin. 26. pro Natalious, *lege* Natatilibus. P. 170. lin 21. pro sancti, *lege* sanctus. P. 175. lin. 11. pro quæ, *lege* quia. P. 178. lin. 8. pro illi, *lege* illæ. P. 181. lin. 4. pro *ληχνος lege λυχνος*. Ibid. lin. 25. pro mansuetissium, *lege* mansuetissimum. P. 185. lin. 6. pro videmus, *lege* videmur. P. 188 lin. ult. pro mactaus, *lege* mactatus. P. 198. lin. 10. pro parellelo, *lege* parallelo. P. 205. lin. penult. pro compatione, *lege* comparatione. P. 207. lin. 8. pro velteris, *lege* Veteris. P. 210. lin. 3. pro nacti, *lege* nactis P. 215. lin. 15. pro Veteris, *lege* Novi. P. 217. lin. 19. pro charitate, *lege* utilitate. P. 242. lin. 15. pro ערניך נחלי *lege* נחלי ערניך P. 243. lin. 16. pro מרת *lege* מות Ibid. lin. 28. pro pollicntur, *lege* pollicetur. P. 249. lin. 15. pro promititur, *lege* promittitur. P. 250. lin. 5. pro loco, *lege* bono. P. 251. lin. ult. pro yastatione, *lege* vastatione.